L. h. 57.

GALENI
ARS MEDICINALIS

NICOLAO LEONICENO
INTERPRETE.

Nouissima hac editione argumentis, & diuisionibus tum totius Opusculi, tum singulorum capitum locupletata,

A
Ioanne Thuilio Mariæ montano, Phil. & Med. Doctore.

Dicata Meritis
Perillustris, & Excellentissimi
CÆSARIS ZAROTTI
IUSTINOPOLITANI.

PATAVII, M. DC. XLII.

Typis Pauli Frambotti Bibliop.
Superiorum permissu.

PERILL. ET EXC. D.

D. CÆSARI ZAROTTO IVSTINOPOLITANO.

Philosophiæ, & Medicinæ Doctori.

Paulus Frambottus S.

OPportunè accidit vt nouam ARTIS PARVAE *Galeni* editionem moliente me, tu Philosophiæ, ac Medicinæ Lauream ætate maturiùs, seriùs omnium expectatione, cunctorum suffragio reportares. Vt nempè Medicorum Principi spes tuas, tibi Galenum commendarem, quem toties posthac de capi-

te hominis pronunciaturus consu-
leres, tuoque exemplo iuuentus
ab hoc magistro artem seruando-
rum mortalium seriò condisceret.
Hic tamen bonos amplissimus mo-
dica pars famæ tuæ apud præsen-
tes ac posteros, in queîs carminum
gloriâ præcellis, quòd vel vnum
testari potest poemation de Angelo-
rum pugna, mortalium, ac poeta-
rum maximo nuncupatum. Itaq;
non vna tibi palma inter gratulan-
tes crescit, vel vna eademque lau-
rus, vatem ac Medicum decet,
quòd musarum parens vtriusque
facultatis auctor perhibetur: &
vtraque res non parum diuinitatis
habet: nam & seruare mortales
legemque morbis dicere Deorum
beneficium est, & carmina non
plebeij saporis sine Numinis af-
flatu nemo fundit; Imò & mor-
bos

bos carminibus pellere citra Magorum ludibria Pythagoræorum inuentum est. Perge itaque de humano genere benè mereri nam siue ægra corpora deposita Orco inuideris, siue animis immortalitatem carmine donaueris, semper nobis eris Magnus Apollo. *Vale.*

INDEX CAPITVM totius Tractatus.

PRIMAE PARTIS CAPITA.

QVot numero doctrinæ; ac de definitiuæ dignitate. cap. 1. pag. 2.
Quid sit Medicina. c. 2. p. 4.
Quot modis dicatur effectiuum, indicatiuum, & susceptiuum. c. 3. 6.
De corpore salubri. c. 4. 8.
De corpore insalubri. c. 5. 9.
De corpore neutro. c. 6. 10.

SECVNDAE PARTIS CAPITA.

DE signis salubribus, & insalubribus, & neutris. c. 7. 14.
De signis optimę constitutionis corporis. cap. 8. 16.
Quot sint differentiæ partium. c. 9. 22.
De signis cerebri. c. 10. 23.
De parvitate & magnitudine capitis, & de ipsius figura. c. 11. 25.

De

De operationibus obtinentibus principatum. c.12. 28
Signa bonæ tēperaturæ cerebri. c.13. 29
Signa calidi cerebri. c.14. 31
Signa frigidi cerebri c.15. 33
Signa sicci cerebri. c.16. 35
Humidi cerebri indicia. c. 17. ib.
Signa calidi siccíq; cerebri. c.18. 36
Signa calidi & humidi cerebri. c.19. 37
Signa frigidi, & sicci cerebri. c.20. 39
De sensibus. c.21. 40.
Signa cerebri frigidi & humidi. c.22. 41
De oculis. c. 23. 42
De magnitudine oculorum. c.24. 43
De parvitate oculorum. c.25. 44.
De colore oculorum. c. 26. ibid.
De glaucedine, & nigredine oculorum Cap. 27. 45.
De cordis temperaturis. c.28. 47.
Signa cordis calidi. c.29. ibid.
Signa cordis frigidi. c.30. 50.
Signa cordis sicci. c.31. 51
Signa cordis humidi. c.32. ib.
Signa cordis calidi, & sicci. c.33. 52.
Signa cordis calidi & humidi. c.34 53
Signa cordis humidi & frigidi. c.35. 55.
Signa cordis frigidi, & sicci. c.36. 55.
Signa calidi hepatis. c.37. 56.

Si-

Signa hepatis frigidi. c. 38. 57.
Signa hepatis ſicci. c. 39. ib.
Signa humidi hepatis. c. 40. 58.
Signa calidi & ſicci hepatis. c. 41 ibid.
Signa hepatis calidi & humidi. c. 42. 60
Signa hepatis humidi, & frigidi. Cap. 43. 61.
Signa hepatis frigidi & ſicci. c. 44. ibid.
Signa calida, frigida, humidę, & ſicca temperatura teſticulorum. c. 45. 62.
Signa calidę & ſiccæ temperaturæ teſticulorum. c 46. 63.
Signa calidæ & humidæ temperaturæ teſticulorum. c. 47. 64.
Signa frigidę & humidæ temperaturę teſticulorum. c. 48. ibid.
Signa frigidę & ſiccæ temperaturæ teſticulorum. c. 49. 65.
De habitu totius corporis. c. 50. ibid.
Signa moderatæ temperaturę. c. 51. 68.
Ce corpore calidiore. c. 52. 69.
Signa frigidæ temperaturæ. c. 53. 70.
Signa ſiccæ temperaturæ. c. 54. 71.
Signa humidę temperaturæ. c. 55. ibid.
Signa calidę, & ſiccæ temperaturæ. Cap. 56. 72.
Signa calidæ, & humidę temperaturæ. Cap. 57. ibid.

Signa frigidæ & humidæ temperaturæ. Cap. 58. 73.
Signa frigidæ, & ſiccæ temperaturæ. Cap. 59. 74.
Signa ſicci ventriculi. c. 60. 78.
Signa humidi ventriculi. Cap. 61. *ibid.*
Signa calidi ventriculi. Cap. 62. 79.
Signa frigidi ventriculi. c. 63. *ibid.*
De malis temperaturis in ventriculo conjugatis. Ca. 64. 81.
De ſignis calidi pulmonis. c. 65. *ibid.*
De ſignis pulmonis frigidi. c. 66. 82.
Signa pulmonis ſicci & humidi. c. 67. 83.
De voce. Cap. 68. *ibid.*
Cur de temperamentis aliarum partium non egerit. Cap. 69. 85.
Signa naturæ inſtrumentariæ. Cap. 70. 86.
De ventriculo. Cap. 71. 87.
De veſica. Cap. 72. 88.
De hepate. Cap. 73. *ibid.*
De homine pituitoſo vomente bilem. c. 74. 89.
Quomodo cognoſcantur corpora ægrotantia. Cap. 75. 90.
De ſignis cerebri patientis. c. 76. 92.
Signa cordis patientis. c. 77. *ibid.*

Si-

Signà hepatis patientis. c. 78. 93.
Signa ventriculi patientis. c. 79. 94.
Signa thoracis patientis. c. 80. 95.
De differentia eorum, quę excernuntur. cap. 81. 96.
Signa futuræ ægritudinis. c. 82. 97.
Signa corporum ægrotantium. cap. 83. pag. 105.

TERTIAE PARTIS CAPITA.

DE causis salubribus, insalubribus, & neutris. Cap. 84. 109.
Causæ nostrum corpus alterantes. c. 85. pag. 110.
Vsus causarum conseruantium in corpore, quod recedit ab optima constitutione per temperamentum. c. 86. 119.
Vsus causarum in corpore, quod recedit ab optima constitutione vitio partium instrumentalium. Cap. 87. 123.
Vsus causarum in corpore, quod recedit ab optima constitutione in vnitate continui. Cap. 88. 128.
Salubrium causarum vsus in ijs, qui morbo tenentur. 129.

INDEX.

De communissima intentione curatiua. Cap. 89. 130.
Curatio solutionis continuitatis in parte carnosa. Cap. 90. 137.
Curatio solutæ continuitatis in osse. c. 91. 139.
Curatio punctura nerui & chordæ. c. 92. 141.
Curatio compositorum vlcerum. 143.
Curatio morborum secundum formationem c. 93. 145.
Curatio obstructionis. c. 94. 146.
Curatio asperitatis & lauitatis. c. 95. 149.
De morbo secundùm numerum. c. 96. 159.
De morbo secundùm magnitudinem. cap. 97. 161.
De morbo secundùm situm. c. 98 162.
De causis præseruatiuis. c. 99. 163.
De parte quæ conualescentes reficit, & senibus congruit. c. 100. 166.

FINIS.

GA-

GALENI

ARS MEDICINALIS

NICOLAO LEONICENO Interprete.

Ad Græcorum Veterum exemplarium fidem ab Augustino Gadaldino ali quibus in locis emendati.

ARGVMENTVM ET DIVISIO LIBRI.

IN hoc tractatu Galenus totam artem medicam methodo definitiua constituit, ex corporum, signorum, & causarum definitione. Vnde non malè totus liber in tres partes diuiditur. In prima agitur de corporibus, eorumq; affectibus; & absoluitur sex primis capitibus. In secunda, a capite septimo vsque ad 84. tractatur de signis salubribus, insalubribus, & neutris dignoscendis. In tertia denique, quæ à capite 84. vsque ad finem se extendit, agitur de causis siue remedijs inseruientibus

ad conseruandam, reducendam, preseruandam, & restaurandam sanitatem.

Quot numero doctrinæ; ac de definitiua dignitate. Cap. 1.

Primum hoc caput proœmium continet de his duabus methodis, vide Arist. 1. Ethic. c. 4. illiusq; septem sunt particulæ. 1. Tres ordines doctrinæ, siue methodi. 2. Methodus resolutiua, seu analytica. 3. Compositiua, siue synthetica. 4. Definitiua, qua hic vtitur Galenus. 5. Conatus irriti aliorum ante Gal. de tribus Medicorum sectis. vide Gal. 6. Comparatio & dignitas doctrinæ definitiuæ. 7. Intentio tractationis. lib. de Sect. & l. de optima secta.

TRes 1. *Sunt omnes doctrinæ*, quæ ordini inhærent:

2. Prima quidem ex notione finis quæ per resolutionem fit.

3. Secunda ex compositione constat eorum, quæ per resolutionem fuerant inuenta.

4. Tertia ex definitionis dissolutione, cui nunc incumbimus. Licet autem huiuscemodi doctrinam appellare non tan-

tantum definitionis dissolutionem, sed & explicationem, vt nonnulli vocarunt; vel resolutionem; vel diuisionem; vel (vt nonnulli alij) explanationem, vel expositionem vt alij.

Et quidem 5. conati sunt & quidã Herophilęorum talem facere doctrinam, quemadmodum Heraclites Erythræus. Conati sunt & eam, quæ per compositionem, & ipsi Herophilęi, & quidam Erasistrati sectatores, & Athenæus Attalæus. Nemo tamen ante nos eam, quæ oritur à notione finis, scripsit, ex qua omnes artes [via quadam, atque ordine, hoc est) methodo constituuntur: sed illam quidem alio pertractauimus loco.

6. *Hic verò definitiuam faciemus doctrinam*, quæ quantum ab ea, quæ per resolutionem fit, & dignitate, & ipso docẽdi ordine (id est methodo) linquitur, tantum & ad totius compendium, & ad particularium memoriam præstare inuenietur: sufficienter enim ac facile memoriæ commendantur vniuersa ex definitionis dissolntione, quoniam totins artis capita in se optima definitio complectitur, quam qui-

dam ſubſtantialem vocant, ex aduerſo diſtinguentes alijs, quæ noematicæ, id eſt, notionales appellantur. Illæ ſiquidem ab ijs, quæ accidunt rebus definitis; hæ verò ab ipſa eſſentia conſtituuntur.

7 Elaborata autem eſt à nobis particulatim, & in pluribus conſcripta tractatibus totius medicinæ contemplatio, quibus vti quis poſſit ad tres doctrinas. *Nunc* verò *definitiuam* aggrediemur, hoc unum apponentes, quod ſolùm capita, & quædam veluti concluſiones eorum, quæ alibi latius (hoc eſt. κατὰ διέξοδον) ſunt demonſtrata, nũc à nobis dicentur.

Quid ſit Medicina. Cap. 2.

Hoc capite traditur Medicinæ definitio, partiumque definitionis diuiſiones: & habet particulas tres. 1. *Medicinæ definitio. Varias Medicinæ definitiones vide apud Hip. l. de Flat. Galenum lib. qui inſcribitur medicus, & lib. ad Thraſybul. Auicen. Auerr. & alios.* 2. *Diuiſio partium definitiones in nouem ſubiecta; corpus, ſignum, cauſam; quorum quodlibet*

bet salubre, insalubre, neutrum est, vide Arist. 4. Metaph. 2. 3. Ordo duplex in his nouem subiectis tradendis, doctrinæ & actionis.

MEdicina 1. *est scientia salubrium & insalubrium, & neutrorum. Nihil verò differt, & si quis loco insalubrium, ægrorum* dixerit. Nomen verò scientiæ communiter, & non propriè accipere oportet.

Salubre 2 autem, & insalubre, & neutrum, vnumquodque tripliciter dicitur: hoc quidem, vt corpus; hoc autẽ vt causa: hoc verò, vt signum. Etenim corpus quod sanitatem natura suscipere aptum est, & causam, qnæ eandem efficere. vel conseruare: & signum qnod potest indicare, hæc omnia salubria Græci appellare consueuerunt. Eadem ratione & susceptiua morborum corpora; & eosdem efficientes, conseruantesque causas; & signa indicantia, insalubria vocant. Nec aliter corpora neutra, causas, signaque dixerunt.

3. Et secundum quidem primam rationem atque præcipuam, causarum

salubrium est medicina scientia: propter eas autem, & aliarum, secundo quidem, loco insalubrium: & tertio neutrarum. Et post has eodem modo corporum primò quidem & hic salubrium: secundo loco insalubrium: tertio neutrorum. Itidem de signis dicendum. In actionibus autem prima quidem est corporum dignotio, quæ habetur ex signis: post hæc causarum, quæ in ipsis sunt, inuentio.

Quot modis dicatur effectiuum, indicatiuum, & susceptiuum Cap. 3.

Subdiuiduntur priora nouem subiecta: & sunt quatuor capitis particulæ. 1. *Subdiuisio dictorum membrorum, quorum singula nouem qualia sunt vel* simpliciter, (*quid sit simpliciter, vide Arist.* 2. *Top. in fin. &* 1. *Elench. c.* 4.) *vel vt*nunc: *simpliciter verò, vel* semper, *vel* vt plurimum. 3. *Subdiuisio neutrorum, per negationem extremorum, per participationem, & per successionem temporum. Rursus subdiuisio neutrorum per participationem æqualem, vel inæqualem. Sic oriuntur* 54. *subiecta Medi-*

ci-

cina. 3. Difficultas proposita, & enodata. 4. Propositio dicendorum.

SEd 1. quoniam & effectiuum. & indicatiuum, & susceptiuum, dupliciter vnumquodque dicitur, hoc quidem *simpliciter*, hoc verò *vt nunc*, nosse oportet, medicinam esse vtrorumque scientiam. Ipsum verò simpliciter duobus dicitur modis, & quod *semper*, & quod *vt multum*. & vtrorumque medicina est scientia. 2. Neutra verò, & causa, & corpus, & signum, & quod simpliciter dicitur, & quod vt nunc tripliciter vnumquodque appellatur: hoc quidem, quia *neutrius cõtrariorum est particeps:* hoc verò, *quia vtriusque:* hoc verò *quia aliquando huius, aliquando illius*. Horum autem ipsorum secundum rursus dnobus dicitur modis: aliquando quidem, quia vtriusque contrariorum *ex æquo* est particeps: aliquando verò, quia *plus alterius*.

3. Est verò & in tota definitione, si verba animaduertimus, ambiguitas quædam, quam & ipsam dissoluere oportet. Cùm enim dicitur, medicinã

esse scientiam & salubrium, & insalubrium, & neutrorum, significatur, & quod omnium particularium, & quod quorundam, & quod qualium. Sed omnium quidem indefinitum quoddam est, atque impossibile: quorundam diminutum, atque artificio carens: qualium verò artificiosum pariter, atque sufficiens ad omnia artis particularia: quod etiam dicimus in Medicinæ definitione comprehendi.

4. Primum igitur de corporibus dicere aggrediemur, qualianam sint & salubria, & insalubria & neutra: & post hæc de signis, & causis differemus.

De corpore salubri. Cap. 4.

Absoluta partium diuisione, nunc incipit agere de corpore salubri, vti proposuerat: particulæ capitis quatuor sunt 1. *Definitio corporis salubris, simpliciter. vide etiam Gal. 2. de sanit. tuen. c. 7.* 2. *Definitio corporis salubris vt nunc. vide lib. de constit. art. c. 10. & lib de bona corp. habit.* 3. *Definitio corporis salubris simpliciter & semper.* 4. *Definitio corporis salubris simpliciter vt multum.*

Sa-

SAlubre 1. *simpliciter corpus est, quod ab ipso naturæ ortu*, tum bonam habet temperaturam in simplicibus, & primis particulis, tum in his, quæ ex illis componuntur, instrumentis est commensuratum.

2. *Salubre* verò *nunc*; est corpus, quod in præsenti est sanum; est verò & hoc eo tempore, quo sanum existit, bonam habens temperaturam, & commensurationem, non tamē optimam, at sibi propriam.

3. Ipsius verò salubris simpliciter corporis tale quidem est semper id, quod est optima temperantia præditum, ac maximè est commensuratum.

4. Vt multum autem, quod à constitutione optima non valde admodum deficit.

De corpore insalubri. Cap. 5.

Ex oppositis salubris corporis definitionibus deducit definitiones corporis insalubris, vnde totidem resultant particulæ. 1. Explicatio corporis insalubris simpliciter, ex triplici differentia. 2. Definitio corporis insalubris vt nunc. 3.

Explicatio corporis insalubris vt semper, ex duplici differentia. 4. Definitio corporis insalubris vt multum.

INsalubre 1. verò simpliciter est corpus, quod ab ipso ortu naturæ, vel in consimilibus partibus malam habet temperaturam, vel instrumentarijs incommensurationem, vel vtrumque vitium.

2. Insalubre verò nunc, est corpus, quod eo tempore, quo tale dicitur, ægrotat. Neque obscurum est, quod & hoc ipsum eo, quo dicitur, tempore ægrotans, vel in consimilibus malam habet temperaturam, vel in instrumentarijs incommensurationem, vel vtrũque.

3. Est vero & semper insalubre, quod ex ipso naturæ ortu, vel pessimã habet temperaturam in simplicibus, & primis particulis omnibus, vel aliquibus, vel bis, quæ obtinent principatũ, vel instrumentarijs incommensuratissimum existit: similiter autem in his vel omnibus, vel aliquibus, vel illis, quæ obtinent principatum.

4. Vt multum vero insalubre est cor-

corpus, quod ab huius quidem vitio recedit, nondum tamen in medio constitutum est.

De corpore neutro. Cap. 6.

Agitur de corpore neutro; & capitis quinque sunt particula. 1. Repetitio breuis superioris diuisionis corporum neutrorum. 2. Definitio corporum neutrorũ primi significati, per negationem extremorum; eiusque vel simpliciter, vel vt nunc, vel vt semper, vel vt multum. 3. Definitio corporis neutri 2 secũdi significati, per participationem extremorums eiusque vt prioris. 4. Definitio corporis neutri 2 tertij significati per successionem temporis. 5. Conclusio dictorum, & propositio dicendorum.

QVoniam 1. vero & neutrum cõrpus tripliciter dicebatur, vnum quidem, quod neutrius erat extremæ dispositionis particeps; aliud autem quoniam vtriusque; aliud quoniam aliquando huius, aliquando vero illius.

2. Iuxta primũ significatum, neu-

trum erit corpus, quod exquisitè medium est saluberrimi, & insaluberrimi corporis; & huius hoc quidem simpliciter tale, quod ab ipso ortu naturę ita est constitutum; hoc vero vt nunc, quod in præsenti tempore medium exquisitè existit saluberrimi atque insaluberrimi corporis; ipsius autem simplicitèr, semper quidem tale est id, quod in omnibus ætatibus tale perdurat. vt multum autem, quod nonnullas recipit mutationes.

3. Iuxta vero secundum significatum, neutrum erit corpus, quod ab ipso ortu naturę contrariarũ simul est particeps dispositionum, aut scilicet in vna parte, aut in duabus differentibus; in vna quidem, si secundum alteram oppositionem effectiuarum qualitatum bonam habuerit temperaturam, vel etiam secundùm vtramque, sed in formatione, vel magnitudine, vel numero partium, vel situ delinquat: aut contra in his quidem rectè se habeat, vel omnibus vel quibusdam, peccet autem in temperatura. In differentibus vero partibus, & iuxta omnes oppositiones, potest quidquam simile & par-

ti-

ticeps esse contrariorum. Et semper quidem tale, quod per omnes ætates in eodem perseuerat. Vt multum vero, quod aliqua ex parte euariat. Ita verò & nunc neutrum erit corpus iuxta secundum significatum, quia vel in parte vna hæc quidem sibi salubria existunt, illa vero insalubria, vel in differentibus ita afficitur partibus.

4. Iuxta vero tertium significatum, neutrum erit corpus, quod aliquando quidem salubre, aliquando vero insalubre per vices existit, vt nonnullis accidit, qui in pueritia salubritate corporis vigent, cùm vero ad iuuentutem peruenerint, insalubres euadunt, aut contrà. In vno autem tempore, quod ita est neutrum, exquisitè quidem consistere nequit; latius vero si accipiatur, contingit. Nouimus autem quod nunc dupliciter dicitur.

5. Salubre igitur, & insalubre, & neutrum corpus quot modis dicatur, & quale vnumquodque sit, sufficienter explicauimus. De signis vero deinceps dicendum.

ARGVMENTVM ET DIVISIO secundæ Partis.

Secunda totius hnius tractatus pars agit de signis salubribus, insalubribus, & neutris; præteritis, præsentibus, & futuris dignoscendis; & extenditur vsque ad caput 84. hoc capitum ordine, vt prima tria capita agant de necessarijs propositionibus, & diuisionibus doctrinæ signorum; sequentia tredecim tribuantur signis cerebri, quinque oculorum, nouem cordis, octo hepatis, quinque testium, decem totius corporis temperaturæ, quinque ventriculi, quinque pulmonis, alia quinque, signis malæ conformationis, septem signis totius corporis, & singularum partium ægrotantium vt nunc, penultimum huius partis caput explicet signa futuræ ægritudinis, ac vltimum demum, tamquam conclusio, referat omnia signa ad salubria, insalubria, & neutra.

De signis salubribus & insalubribus, & neutris. Cap. 7.

Præmittit hoc capite diuisiones signo-

rum, ad futuram doctrinam conducentes : & sunt particulæ tres. 1. *Diuisio signorum secundum triplicem temporis differentiam ; & neutrorum subdiuisio suprà de corporibus neutris dicta.* 2. *Appellatio signorum apud veteres, & eorum vtilitas.* 3. *Repetitio breuis superioris diuisionis, in semper & nunc ; illiusque subdiuisio.*

SVNT 1. autem & ex his salubria quidem, & quæcunque præsentem indicant sanitatem, & futuram prænunciant, & præteritam memoriæ subijciunt. Insalubria vero, quæ & præsentem indicant ægritudinem, & futuram prænunciant, atque præteritam memoriæ subijciunt. Eadem ratione neutra dicuntur, quæ neutram dispositionem ostendunt, prænunciant, & memoriæ subijciunt ; & quæ nihil omnino de dispositionibus indicant, vel nihilo magis salubrem, quàm insalubrem dispositionem ostendunt : & quæ partim quidem salubrem, partim vero insalubrem indicant dispositionem : quæ aliquando quidem salubrẽ, aliquãdo vero insalubrem ; & hęc quo-

que

que secundùm tria tempora, veluti salubria & insalubria.

2. Vocantur autem nonnunquam à vetustioribus medicis, hæc omnia signa prænunciatiua, quamuis præsentium, vel præteritorum sint indicatiua. Vsus vero non paruus est ex prænunciatiuis atque indicatiuis, minor autem ex his, quæ memoriæ subijciunt

3. Cùm igitur sint salubria corpora, hæc quidem simpliciter, hæc vero vt nunc, quæ & sana dicuntur, salubriũ simpliciter corporum duplicem diximus esse differentiam: quoniam nonnulla quidem semper, nonnulla vero vt multum essent talia. Et semper quidem, quæ optimam constitutionem sortita sunt: vt multum vero, quæ non magnopere ab illa recedunt.

De signis optimæ constitutionis corporis. Cap. 8.

Hoc caput proponit fontes significantium ostendentium varias dispositiones corporum salubrium, insalubrium & neutrorum; & habet particulas nouem. 1. Eonstri-

triplex signorum, essentialium, operationes necessario consequentium, & necessariò accidentium. Arist. 1. Post. 1. 9. Gal. 1. Methodi, c. 8. & 9. 2. Signa essentialia in optima sanitate partium tam similarium quàm organicarum; signa consequentia optimum habitum partium similarium, item dissimilarium. 3. Differentia corporis salubris vt multum, à salubri vt semper, per vitium exiguum in temperamento, vel compositione, vel vtrisque communi vnitate; vitiorum genera & numerus. 4. Terminus insalubriũ manifesta læsio actionis. 5. Differẽtia corporis salubris vt multũ, à salubrĩ vt semper, per alia signa; differentia itẽ corporum simpliciter insalubrium, & neutrorum. 6. Latitudo sanitatis triplex; distinctio latitudinis neutrorum. 7. Distinctio sanorum ab agris, per actiones abolitas, aut diminutas, sensu iudice. 8. Signa corporum salubrium, insalubrium, & neutrorum, secundum vicinitatem & distantiam ab extremis; & propositio ordinis in particularibus signis tradendis seruandi. 9. Ratio cur à signis insalubrium simpliciter incipiat. vide Gal. lib. de opt. corp. constit.

Ho-

HOrum 1. *autem dignotiones sumendæ sunt ab ijs,* quæ secundum essentiæ rationem ipsis insunt, & ab ijs, quæ ex necessitate consequuntur, operationibus, symptomatibusque, id est, casibus, quos etiam sanè accidentia propriè vocamus.

2. *Ab essentia quidem ipsa eorum,* quę optimã habẽt constitutionẽ, cõmensuratione cõsimiliũ quidẽ in caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate. Instrumentalium vero in quantitate, ac numero eorum, ex quibus componuntur, ac præterea formatione, & situ partium singularum, ac totius instrumenti. Ab his vero, quæ ex necessitate consequuntur consimilia, quantum quidem attinet ad tactum, à mediocritate, quæ in mollitie ac duritie consistit; quantum vero ad aspectum, à colore bono, & lęuitatis, atque hispiditatis mediocritate. In operationibus vero à perfectione, quam et ipsarum virtutem appellamus. Ab his vero, quæ instrumentarias partes consequuntur, à commensuratione, et pulchritudine omnium totius corporis instrumentorum, ac præterea earum, quæ ipsis insunt,

sunt, virtute operationum. Optimæ igitur constitutionis corporum signa indicatiua sunt hæc.

3. Eorum autem, quę ab ipsa deficiunt, & adhuc tamen salubria existunt, nonnulla quidem in cõsimilium temperatura vitium aliquod parum habent: nonnulla verò in instrumentariorum commẽsuratione, & hoc quoque perexiguum. Accidit autem hoc vel in omnibus, vel in aliquibus, aut in vtrisque. Vitiorum verò genera eadem sunt cum his, quę virtutem perficiunt, temperatura quidem in consimilibus: numerus autem, & formatio, & magnitudo, & situs in instrumentarijs: vtrisque verò communis vnitas, quam & ipsorum continuitatem appellamus.

4. In his autem ipsis gèneribus sunt corporum insalubrium vitia secundum vtrumque insalubritatis significatum. Terminus autem, qui vtrumque distinguit, est operationum læsio sensibilis.

5. Quæ verò ab optima corporum constitutione breue aliquid deficiunt, re vera quidem & ipsa in aliquo sunt

of-

offensa, non tamen id sensu compre-
henditur. Distinguuntur vero ex eo,
quod magis minusue in operationi-
bus existit, ac quia causis insalubri-
bus non æque resistunt. Quę autem
simpliciter insalubria sunt corpora, di-
stinguuntur ob id, quod facilè à causis
insalubribus superantur, & quoniam
in virtute operationum multùm defi-
ciunt. In medio autem amborum col-
locantur neutra, tum quæ exquisitè
appellantur; tum quæ cum latitudine
quadam.

6 *Quo fit vt tota sanitatis latitudo in tres partes*, quarũ singulæ latitudinem habent non paruam, diuidatur. Erit au-tem prima quidem salubrium corpo-rum, secunda neutrorum, tertia insalu-brium. Post quæ deinceps sequuntur, quæ iam ægrotant corpora, quæ sen-sibilibus operationum læsionibus di-stinguuntur.

7 Quæ igitur dolore infestantur, & quorum motus sunt deprauati, aut omnino interierunt, manifestas habent determinationes. Quæ vero imbecilles edunt operationes, in magnis quidem distantijs facilè discernuntur, in par-

uis

uis vero ambigua sunt : atque idcirco in eo genere noxæ collocatur dispositio quæ neutrius contrariorum est particeps, quam & ipsam neutram dicimus appellari. Ita tamen, vt horum omnium sensus sit index, non ipsa natura rerum inspiciatur : periculum enim esset, ne in dogma *διηπαθείας*. i. perpetuæ passibilitatis, traheremur.

8. *Et quidem signa sanorum* corporum, sed quę aut insalubria, aut salubria, aut neutra existunt, quantitate distantię differunt, duobus inuicem contrarijs terminis à nobis statutis, optima videlicet constitutione corporis, & nuper facta ægritudine, ac deinceps considerantibus, vtri eorum viciniora sint ea, quæ ad examen corpora veniunt ; Quæ enim proximiora sunt optimæ constitutioni, salubria : Quæ vero ab hac longiùs distant, atque ad ea, quæ iam ægrotant, magis accedũt, insalubria; Quæ autem intermedia, atque æqualiter ab vtrisque distare videntur, neutra erunt. Optimæ igitur constitutionis corporis indicia explicauimus. Eorum vero, quæ ab ipsa deficiunt, totidem sunt numero genera,

quæ

quæ in magis & minus secari possint.

9. Cùm autem in tres latitudines diuisa sint, corporis insalubris simpliciter indicia trademus; ex his enim & reliquæ duæ latitudines innotescent. Generaliter igitur prius à nobis in eo, quem de optima constitutione sermonem habuimus, dictum est: specialiter autem nunc dicetur, si prius partes diuiserimus.

Quot sint differentiæ partium.
Cap. 9.

Quatuor differentias partium corporis statuit, singulorumque exempla enumerat, seclusis capillis & unguibus, quæ ad nullam harum reuocari possunt.

SVnt verò *quatuor uniuersæ differentiæ*. 1. quoniam nonnullę earum *principia* quædam existunt.

2. Aliquæ vero *ab ipsis originem* habent.

3. Aliquæ *nec aliarum gubernationi* præsunt, neque ab alijs gubernantur. cùm insitas habeant à natura potentias, a quibus reguntur.

4. Quæ-

4. Quædam vero sunt, quæ *insitas simul, & aliunde emanantes* habent.

Principia igitur sunt Cerebrũ, Cor, Hepar, testiculi.

Ab his vero ortum habent atque eisdem suministrant, Nerui quidem, & Spinalis medulla Cerebro; Cordi vero Arteriæ: Hepati Venæ: ipsa vero seminaria vasa testiculis.

Quæ autem à seipsis gubernantur, sunt Cartilago, Os, Copula seu ligamentum, Membrana, Adenes, id est, glandulæ, Adeps, Caro simplex. Reliquæ vero partes, cùm vnà cum istis habeant ex seipsis regimen, arterijs, neruis, & venis insuper egent. Capillorum autem, atque vnguium neque regimen vllum est, sed generatio tantummodo. Hæ igitur sunt partium differentiæ.

De signis cerebri. Cap. 10.

Propositum persequens in tradendis signis particularibus orditur à cerebro, seruans ordinem tum situs, tum dignitatis; & primò tradit signa cerebri interna quinque, dispositionem capitis, opera sen-

ſenſus & motus operationes principes, & naturales; deinde externa deſumpta ex triplici fonte, magnitudine, figura, capillis. vide Galeni librum 1. *&* 2. *de loc. affect. &* 2. *de Temper.*

INdicia autem ſingularum temperaturæ, ſumpto à Cerebro initio, deinceps dicemus. Sunt vero quinque vniuerſa genera, quæ ipſius naturam oſtendunt.

Primum quidem totius capitis diſpoſitio.

Secundum vero ſenſibilium operationum virtus, & vitium.

Et tertium actiuarum.

Quartum earum, quæ tenent principatum.

Et quintum naturalium.

Aliud vero genus præter hęc omnia eſt, quæ ab extrinſecus occurſantibus aduenit alteratio.

Et quidem totius capitis diſpoſitio, ex magnitudine, & figura ſumitur, atque capillis.

De paruitate & magnitudine capitis, & de ipsius figura. Cap. 11.

In hoc capite docet signa cerebri à dispositione capitis desumpta, id quod ante proposuerat: & sunt quinque particulæ. 1. Caput paruum, aut magnum quale signum. 2. Capitis propria figura. 3. Vitia occipitis secundum diminutam & adauctam eminentiam. 4. Spinalis medullæ, & neruorum origo, & ex ea signa. 5 Vitia sincipitis secundùm signa in occipite dicta, & ea, quæ à sensibus sumũtur. videatur Gal. in 6. de morb. vulg. com. 1. de vs. part. 9. c. 17. & de oss. c. 1.

PAruum 1. igitur caput vitiosæ constitutionis cerebri proprium est indicium. Magnum verò non necessariò indicat bonam constitutionem, sed si quidem ob insitę virtutis robur, quę multam atque optimam materiam affo mauerit, eueniat, bonum est signũ; at si ob materiæ tantùm multitudinem, haud quaquam bonum. Distinguenda verò sunt hæc & ex figura ipsa, & ex his, quę ab eo habent ortum.

A figura quidē ipſa, ſi cōcinna; ſemper enim hoc bonū eſt ſignū: Ex hisautē, quæab eo ortum habent, ſi valida eſt ceruix, & ſi alijs oſſibus optimè conſtet, atque omnis præterea neruoſa ſubſtantia boni ſit habitus, ac robur habeat intentum.

2. Propria autem capitis figura eſt, veluti ſi excogitares ſphæram exquiſitè rotundam ex cera conſtructam, leniter vtrinque depreſſam. In hac enim neceſſe eſt, vt poſteriores, prioresque partes magis gibbæ fiant, quàm ſphæræ conueniat: quæ verò vtrinque conſiſtunt, magis rectæ

3. Quòd ſi ea, quæ ſecundum occiput, eminentia alicui minuatur, ſimul intueri oportet neruos, atque ceruicem vnà cum oſſibus alijs. Nam ſi ſecundum naturam conſtiterint, materiæ defectu, non virtutis imbecillitate hoc contigit: illis verò non rectè ſe habentibus, principium eſt debile. Sed magna ex parte defectus, qui occipiti eueniunt, conſequitur eorum, quæ antè diximus, imbecillitas, rariſſimeque aliter euenire conſueuit. Caput etiam, quod ſecundum occiput in acutiem

ten-

tendit, animaduertere oportet, ijsdem adhibitis distinguendi rationibus, quibus antea in capite grandiori facto vtebamur. Sæpe numero verò & hoc bonũ est signum, figura concinna cerebelli, quod nonnulli Medici posterius cerebrum appellare consueuerunt, quemadmodũ sanè & posterius existit, ea sutura, quæ Græcæ litteræ Λ. formam habet, distinctum.

4. Est verò hæc pars, spinalis medullæ principium, & eius ratione neruorum omnium, qui in toto animali sunt actiui. Ipsa autem pars posterior per seipsam paucos admodum sensitiuos obtinet neruos, plurimos verò actiuos: sicuti & anterior sensitiuos quidem plurimos, paucos admodum actiuos. Quare vbi bene fuerit affecta vtraque pars, robustas habebunt suas propagines.

5. Eædem quoque distinctiones adhibendę sunt ad partes capitis anteriores ad frontem attinentes, quæ etiam ad posteriores, earundemque & paruitatem & magnitudinem inspicere oportet, atque itidem figuram, & sensus ibi collocatos, visum, gustum, atq;

odoratum. Hæc enim se inuicem indicant atque attestantur, & quæ à principijs oriuntur, principij virtutem, & vitium: & principium ea, quæ ab ipso nascuntur.

De operationibus obtinentibus principatum. Cap. 12.

Sequuntur signa ab operationibus principalibus desumpta, sunt autem tres capitis particulæ. 1. *Principes operationes, quę (vide Gal. 7. de placit. Arist. 2. de anim.) & quid indicet ingenium, & tarditas intellectus* 2. *Quid indicet discendi facilitas, & memoria, quid eorum contraria, discendi difficultas & oblivio, quid denique mobilitas, & stabilitas opinionum.* 3. *Excusatio, cur non agat de postremis duobus signis propositis, nimirum actionibus naturalibus, & externis.*

EArum 1. autem operationum, quæ obtinent principatum, virtus ac vitium sunt ipsius principij seorsum tantummodo indicia. Voco autem operationes principatum obtinentes,

hoc

hoc est, ἡγεμονικάς, quæ à solo principio proueniunt. Ingenium quidem igitur (Græcè ἀγχίνοια) subtilem cerebri substantiam indicat; tarditas verò intellectus, crassam.

2. Discendi verò facilitas, formarum facilè susceptiuam: memoria autem stabilem, ac firmam: sicuti & discendi difficultas, formarum non facilè susceptiuam; & obliuio, fluidam: mobilitas quoque in opinionibus, calidam; stabilitas autem frigidam.

3. Adhuc autem duo indiciorum genera mihi videor prætermisisse, de quibus sum ab initio me dicturum pollicitus, quorum alterum ad operationes attinet naturales; alterum verò ad ea, quæ extrinsecus occursant. Erit autem de vtrisque sermo communis.

Signa bonæ temperaturæ cerebri. Cap. 13.

Fontes & methodum supra traditam applicat cerebro, & quidem temperato, quod consistit in temperie omnium signorum traditorum; capitis sunt quinque

particula. 1. *Signa cerebri temperati à temperie rerum dictarum, ab excretis, & à læsione externa.* 2. *Indicia à colore, figura, & consistentia capillorum sumpta. Vide Arist. 5. de gen. anim c. 3. 4. & 5. Gal. 2. de temp. c. 5. & 8. de placit. c. 12.* 3. *Determinatio dictorum & dicendorum signorum, quæ à loco habitationis desumenda Vide Hip. de aer. & loc. aq.* 4. *Signa capillorum & à loco habitationis, & à tẽperamentis sumenda.* 5. *Signa intemperiei, ac primùm calidæ, & determinatio necessaria ad temperamenta omnium partium cognoscenda.*

SIquidem 1. cerebrum sortiatur bonam quatuor primarum qualitatum temperaturam, omnia, quæ diximus, habebit moderata, & excrementa, quę vel per palatũ, vel aures, vel nares, vel oculos expurgãtur, hæc quoq; modicè se habebunt: atque ab ijs, quæ extrinsecus occurrant, minimè lædetur, quæ scilicet vel calefaciunt, vel frigefaciunt, vel humectant, vel exsiccant.

2. Talibus igitur capilli capitis, cùm adhuc sunt infantes, subrufi: cùm verò pueri, subflaui: cùm iam adoleuerint,

rint, flaui fiunt, medijque quodammodo sunt inter eos, qui exquisitè sunt crispi & simplices; non tamen facilè caluitium patiuntur.

3. Quæ verò dicuntur, ac posterius dicenda indicia sunt, accipere oportet, vt in bonam habentibus temperiem habitationibus.

4. Quæ autem ad capillos attinent, non ad locorum tantùm, sed ad humorum quoque temperaturam, qui cerebri temperaturæ proportione respondent, sunt referenda.

5. Si verò calidius sit, quàm oporteat, in altera verò oppositione bonam habeat temperaturam, siquidem in caliditate multum excesserit, omnia, quæ dicentur, validiora erunt indicia: sed si paruus fuerit excessus, imbecilla. Communis autem hæc ratio statuatur in omnibus partibus, quarum in temperaturis vniuersis indicia sumus tradituri.

Signa calidi cerebri. Cap. 14.

Transit ad tradenda signa calidi cerebri, & eorum statuit nouem; particu-

la capitis statuuntur sex. 1. Prima tria signa cerebri calidi, partium capitis rubor, & calor, & vena oculorum conspicua Gal. *in. 3. de morb. vulg. com. 3. 2. Tria sequentia signa, generatio capillorum statim ab ortu, eorum nigredo, & crispitudo in excessu calidi, caluitium maturum.* Gal. *2. de temp. c. 5. Arist. 5. de gen. anim. c. 3. 3. Signum septimũ ab excretis. 4. Octauum à repletione ciborum, & odorum calidorum. Hip. 5. Apho. 28. 5. à repletione quoque extrinsecarum rerum, maximè aeris. 6. Nonum, à breuitate & leuitate somni.*

DEinceps 1. igitur signa calidiratis cerebri, præter ea, quæ nuper diximus, sunt, quòd ea, quæ circa caput, omnia rubicundiora & calidiora, & quæ in oculis sunt venæ, magis sensui patent.

2. Capilli quoque in his geniti celeriter in capite proueniunt, & cùm multum in caliditate à mediocri temperatura recesserint, nigri, & robusti, & crispi fiunt: cùm verò non multùm, subflaui quidem ab initio fiunt, deinde nigricant, ac progredientibus ætatibus

bus caluitium patiuntur, atque eò magis, qui plus modico sunt calidiores.

3. Excrementa verò, quæ per palatum, & nares, & oculos, & aures, pauca & concocta ipsis existunt, cùm integram habuerint sanitatem. 4. Cùm verò eis caput repletur; continuò enim ac tum præsertim, cùm nullam victus seruauerint rationem, tale quid eis accidit, plura quidem in ipsis excrementa, sed non incocta generantur, implenturque atque aggrauantur eorum capita à calefacientibus cibis, & potibus, odoribus.

5. Atque hisce omnibus, quæ extrinsecus occurrant: in quorum numero est & qui nobis circumfunditur aër. Sed præterea magis, si non solum natura calida, sed etiam humida corpora exstiterint.

6. Breuibus autem somnis huiusmodi temperaturæ contentæ sunt, eisdemque non profundis.

Signa frigidi cerebri. Cap. 15.

Cerebri frigidi tradit signa superio-

ribus contraria, & enumerat duodecim, quæ numeris tantùm distinximus, cùm ex textu satis sint clara.

FRigidioris verò, quàm oporteat, cerebri indicia sunt;

1. Plura in proprijs meatibus excrementa.

2. Capilli recti.

3. Rufi.

4. Stabiles.

5. Qui longo post natiuitatem tempore nascuntur.

6. Tenues, atque ab initio malè nutriti.

7. Facilè à causis frigidis offendũtur, atque hoc ipso offensionis tempore.

8. Destillationibus, & grauedinibus capiuntur: Neque

9. si tetigeris partes ad caput attinentes, admodũ calidę sentiũtur: Neq;

10. si inspexeris, rubicundæ apparent: Et

11. oculorum venæ omninò visum effugiunt: Et

12. somnolentiores quodammodo sunt.

Si

Signa ſicci cerebri. Cap. 16.

Progreditur ad qualitates paſſiuas, & ſtatuit ſeptem ſigna cerebri ſicci, quæ numeri in textu indicant. vide omnino de his Gal. 2. de temp.

SIccioris autem cerebri indicia ſunt

1. Meatus ſuperfluitatibus carentes; Et

2. ſenſuum perſpicacitas: Sunt autẽ

3. ad vigilias prompti: Et

4. capillos habent robuſtiſſimos: Et

5. qui celerrimè eis genitis innaſcuntur.

6. Criſpi autem potius ſunt, quàm recti:

7. Citò autem calui fiunt.

Humidi cerebri indicia. Cap. 17.

Ex qualitatibus ſimplicibus cerebri, humiditas vltimo loco hic locatur, cuius ſex ponit ſigna. Vide numerôs in textu.

HVmidioris verò cerebri indicia,
1. capilli plani: Et
2. nequaquam calui fiunt;
3. Sensus autem turbulenti: Et
4. Excrementorum multitudo;
5. Somni multi;
6. Atque profundi. Et hæ quidem simplices sunt intemperaturæ.

Signa calidi sicciq́ue cerebri. Cap. 18.

Incipit hic agere de signis temperaturarum compositarum, exorsus à cerebro calido & sicco, cui attribuit octo signa, numeris notata à nobis.

COmpositæ autem primùm calida & sicca, secundùm quam &
1. superfluitatibus carent; Et
2. sensibus vigent; Et
3. plurimùm vigilant; Et
4. citò calui fiunt; Et
5. prima quidem capillorum generatio celerrima est, ac plurimo abundans alimento:
6. Capillos verò habent nigros & crispos; Et

7. tan-

7. Tangentibus caput calidi sentiuntur: Et

8. sunt rubicundi vsque ad ætatem consistentiæ.

Signa calidi, & humidi cerebri.
Cap. 19.

Agitur de temperie cerebri calida & humida: & hoc caput tripartitum est. 1. *Quando caliditas & humiditas parùm recedunt à temperato, septem assignat hic signa, quæ numeris signata.* 2. *Quando ambæ hæ qualitates multum à temperato recedunt, totidem hoc loco assignantur signa. Vide Hipp.* 6. *Aphor.* 2. *Gal.* 9 *de vs. part. c.* 1. 3. *Quando alterutra est intensa, altera remissa, signa ea, quæ dicta sunt de vnaquaque, erunt magis vel minus intensa; & id obseruatur in omnibus compositis temperamentis.*

SI 1. verò humiditas adiungatur caliditati, parum vtriusque qualitatibus superantibus mediocritatem,

1. color bonus; Et
2. calor; Et
3. oculorum venæ magnæ: Et

4. plu-

4. plura excrementa, & mediocriter cocta: Et

5. capilli recti, subflaui: Et

6. non facilè calui fiunt.

7. Implentur verò, atque aggrauantur eorum capita à calidis: at si etiam humectentur, tunc multò magis, quando & excrementorũ habent multitudinem.

2. Et si plurimum caliditas atque humiditas creuerit, his

1. caput ægritudinibus est obnoxium, Atque

2. excrementis abundans: Et

3. quod facilè à calefacientibus, atque humectantibus offendatur.

4. Auster verò semper eis aduersatur, atque optimè in Aquilone se habent.

5. Non tamen diu vigilare possunt: & cùm se ad somnum conuertérint, simul graui somno (hoc est, comate) tentantur, & vigilant;

6. & somnia habent imaginationibus plena.

7. Visus eis turbulenti, neque satis sensibus vigent.

3. Quòd si multum in caliditate ce-

brum à mediocritate receſſerit, paulò autẽ humidi⁹ extiterit, calidę tẽperaturæ indicia quidẽ ſuperabunt, cum quibus leuia quædam humiditatis ſigna coniungantur: veluti ſi longè quidem humidius, paulò verò calidius vehementia quidem erunt, ac manifeſta humiditatis indicia, debilia autem caliditatis. Communis verò hæc ratio in omnibus compoſitis intemperaturis exiſtit.

Signa frigidi, & ſicci cerebri.
Cap. 20.

Signa cerebrì frigidi & ſicci apponit, quando amba qualitates æquales ſunt; vbi apparent quinque ſigna. 1. *Caput frigidum, &* 2. *decolor.* 3. *Venæ nullæ in oculis conſpicuæ.* 4. *Læſio à frigidis.* 5. *Inæqualis ſanitas, & quæ hanc conſequuntur.*

FRigidæ verò & ſiccæ cerebri intemperaturæ, quantum ex ſe eſt,

1. Frigidum, Et

2. minimè coloratum caput reddũt: ſemper enim memoria repetenda, quæ

à nobis ab initio est distinctio posita, vt præterea aduertamus, quantum ex humorum temperatura alterentur, quæ circa ipsum consistunt. Protinus autem huiuscemodi temperatura

3. Venis carentes habent oculos, &
4. à causis frigidis facilè lęduntur.
5. Quare & inæquali sanitate fruuntur, quoniam nonnunquam læuissima habent capita, & meatus, qui superfluitatibus carent; nonnunquam verò & grauedinibus, & destillationibus parua ex causa facilè capiuntur.

De sensibus. Cap. 21.

Alia sex signa cerebri frigidi & sicci à sensibus petita. 1. *Sensuum perspicacitas in ætate tenera.* 2. *Celerrima senectus.* 3. *Cita canities. Vid. Arist. 5. de gen. anim. c. 4. & 5. & 3. de hist. an. c. 11. Gal. 2. de temp. c 5.* 4. *mala capillorum nutritio.* 5. *pili rufi.* 6. *caluities maior vel minor, pro qualitate superante.*

SEnsus 1. autem eorum in iuuentute quidē omnes vigent, atque omni vitio carent, sed progrediente ætate ci-

tò marceſcũt. Et vt ſummatim dicatur,

2. omnes celerrimam circa caput ſenectutem oſtendunt, quare &

3. citò cani fiunt

4. Capilli verò ipſis quidem genitis vix exeunt, & malè nutriuntur, &

5. rufi ſunt.

6. In progreſſu autem ætatis, ſuperante magis frigiditate caliditatem, quam ſiccitate humiditatem, non calueſcunt. Contrà verò, ſi contigerit ſiccitatem quidem plurimùm dominari humiditati, frigiditatem verò caliditati, parum calui fiunt hi.

Signa cerebri frigidi, & humidi. Cap. 22.

Nunc ſigna tradit quinque cerebri frigidi, & humidi, quæ vide in priore particula huius capitis. In ſecunda deinde applicanda eſſe dicit hæc ſigna etiam ſenſorijs.

HVmidæ 1. verò, & frigidæ cerebri temperaturæ faciunt homines graui ſomno tentari, & ad ſomnum facilè cõuerti, 2. à sẽſibus quo-

que

que minimè vigentes. atque

3. excrementis redundantes, & quî

4. caput frigiditati, ac repletioni habent obnoxium, ac deſtillationibus, & grauedinibus facilè tentantur;

5. Neque tamen hi calui fiunt.

6. Hæc igitur indicia ſunt cerebri temperaturæ, à quibus ſi progrediaris, ad vnumquodque ſenſorium dignotiones transferre licebit.

De oculis. Cap. 23.

Aggreditur ſigna oculorum ob affinitatem cum cerebralibus, eaque ſumit à quatuor qualitatibus ſimplicibus, à magnitudine & paruitate, à coloribus. Hoc verò loco agit de primis qualitatibus. 1. *in priore quidem particula de ſignis tribus oculi calidi, tum ipſius contrarij frigidi.* 2. *deinde de paſſiuis qualitatibus agit, & de ladentibus & iuuantibus. Vide Gal.* 2. *de temp. c.* 6. *&* 7. *de placit. c.* 5. *&* 7.

SEd 1. ſufficiet de oculis duntaxat facere mentionem. Quicunque

1. tangentibus quidem manifeſtè

ſtè calidi exiſtunt, Et

2. facili, ac crebro motu cientur, &

3. venas latas habent, hi calidi omnes ſunt: frigidi verò his contrarij.

2. Et humidi quidem molles ſimul, & multa humiditate pleni: ſicci verò, aridi ſimul & duri. A ſimilibus autem ſuæ temperaturæ cauſis facilè offenduntur: iuuantur autem à modico contrariorum vſu: ſed hoc quidem commune in omni cuiuſcunque partis temperaturæ dignotione oportet meminiſſe.

De magnitudine oculorum.
Cap. 24.

Signà ex quantitate oculi deſumpta. & primò à magnitudine, quæ ſi concinna, bonam; ſi turpis, malam temperiem indicat. Vide Gal. 2. de temper c. 6.

MAgnitudo oculorum quidem, vbi concinnitas adſit, & operationum virtus, multitudinem bene temperatæ ſubſtantiæ oſtendit, ex quæ

ſunt

sunt conformati: quæ si desint, multã quidem substantiam, non tamem bene temperatam ostendunt.

De paruitate ocũlorum. Cap. 25.

Paruitas oculorum concinna bonam temperiem; inconcinna cum operationis vitio, malam indicat. Vide Gal: loc. cit.

PAruitas verò oculorum, adiuncta quidem concinnitate, ac operationum virtute, paucam quidem, sed bene temperatam substantiam ostendit, ex qua sunt conformati. Si verò sociam habuerint inconcinnitatem quandam, atque operationum vitium, tunc paucam simul, ac vitiosam materiam ostendunt.

De colore oculorum. Cap. 26.

A quantitate transit ad colorem oculorum, quem hic triplicem facit, glaucum, nigrum, & intermedium, qui fiunt ob splendidi luminis abundantiam vel inopiam. Arist. 5. de gen. anim. c. 1.

Quæ

QVæ verò ad colores attinent, ita distinguere oportet. Glauci quidem oculi, qui pura humiditate, ac non multa præfulgent, tales fiunt ob splendidi luminis abundantiam: contra verò nigri, & qui intermediam naturam seruant, causas quoque intermedias habent.

De glaucedine & nigredine oculorum. Cap. 27.

Ostendit colorum dictorum causas, & quomodo ex ijs temperamentum cognoscatur, & sunt capitis particulæ tres. 1. *Causæ variæ glaucedinis.* 2. *Causæ nigredinis in oculo.* 3. *Temperamentorum ex dictis coloribus cognitio. Vide Galen. in* 3. *de vulg. morb. com.* 3. *Arist. loco cit.*

GLaucus 1. igitur oculus fit vel propter magnitudinem, vel propter splendorem humoris, qui a Græcis *Crystalloides* nominatur, vel propter situm prominentem, aut propter tenuis, & aquei humoris, qui in pupilla exi-

exiſtit, paucitatem, & puritatem: atque omnibus quidem in vnum conuenientibus fit glauciſſimus oculus. Quod ſi qua adſint, aliqua verò non, tunc maior minorue glaucedo contrahitur,

2. Niger verò oculus fit aut ob paruitatem cryſtalloidis, aut propter profundum ſitum, vel quoniam ſplendidus ac fulgidus exquiſitè non eſt, vel quoniam tenuis humor, vel ſuperabundat, vel purus non exiſtit; vel propter unam aliquam ex his cauſis, aut propter omnes fieri conſueuit. In ipſis autem magis, & minus (vt ante diximus) reperitur.

3. Tenuis igitur humor, quò magis ad aquæ naturam accedit, & ſuperabundat, humidiorem oculum oſtendit: quemadmodum ſi craſſior ac minor fiat, ſicciorem. Cryſtalloides autem, ſi quidem durior exiſtat, ſicciorem efficit oculum; ſi verò mollior, humidiorem: ſic & ſi plus modico tenuem humorem exceſſerit, ſicciorem: ſi autem defecerit, contrarium.

De cordis temperaturis. Cap. 28.

Accedit ad cordis tractationem, cuius octo sunt partes, secundùm octo varietates intemperiei. In hoc verò capite tradit regulam generalem, pro inuestigandis temperamentis tam cordis, quàm aliarum partium.

DE cordis autem temperaturis deinceps dicendum est, si prius hæc in memoriam reuocauerimus, quòd vnamquamque partem seipsa vel calidiorem, vel frigidiorem, vel sicciorem, vel humidiorem dicimus factam, non alicui rei alteri comparantes, sed ad se ipsam. Sic enim vtcunque extiterit cor natura frigidissimum, multò sanè calidiorem temperaturam possidebit calidissimo cerebro.

Signa cordis calidi. Cap. 29.

Signa tradit cordis calidi, in latitudine tamè sanitatis; deinde calidi in excessu; & sunt capitis particulæ quinque. 1. *Signa quinque cordis calidi.* 2. *Signa tria*

ria priora cordis calidissimi. 3. Alia duo signa caloris in excessu, de quibus omnibus vide Gal. de vs. puls. c 1. lib. de caus. respir. lib de motu thorac. & lib. de Anat. viuor 4. Quomodo cerebrum possit efficere thoracem latum sine calore cordis. 5. Qua ratione faciat thoracem latum, calor, & de signis à proportione capitis ad thoracem sumendis.

CAlidioris 1. igitur cordis, vt ad modum, qui ei proprius est atque conueniens, indicia quædam sunt inseparabilia & propria,

1. magnitudo respirationis, &
2. pulsus velocitas, &
3. frequentia, &
4. audacia, &
5. ad actiones natura prompta.

2 Quòd si multum in caliditate excesserit, tunc

1. iræ præcipitatio, &
2. furibunda temeritas adsunt.

Est autem his

3 thorax hispidus, & præsertim pectus, & quæcunque hypochondrijs partes proximiores.

3. Magna verò ex parte

4. ca-

4. calidi cordis temperatura vniuersum corpus calidum reddit, nisi hepar vehementius obstiterit. Dicemus autem paulò inferiùs totius corporis indicia.

5. Est quidem & latitudo thoracis caliditatis indicium, nisi & hic quoque cerebrum multùm obstiterit:

4. quoniam ei magna ex parte spinalis medulla in magnitudine respondet: tantę verò erunt magnitudine vertebræ, quanta & spinalis medulla, quare & spina vniuersa. Configitur verò thorax ad eam spinæ partem, quę Metaphrenum, id est, dorsum dicitur tanquam ad carinam nauis Quare necessariò eius longitudo æquabitur dorso: latitudo verò erit pro vertebrarum ratione, quando ad proportionem earum crassitudinis fuerit confixus.

5. Cùm verò cordis caliditas superãs perflauerit, ac dilatauerit in primo suiortu thoracem, erit eiusdem caliditati proportione respondens Quare, cùm caput paruum, thorax autem latus extiterit, maximum hoc tibi fuerit cordis caliditatis indicium: cùm verò magno existente capite paruus fuerit,

proprijſſimum hoc erit cordis frigidioris ſignum : ſi verò capiti fuerit proportione reſpondens , tunc alijs ſignis de corde diſtingues, ex ipſius thoracis amplitudine nihil aſſumens.

Signa cordis frigidi. Cap. 30.

Signa ſeptem cordis frigidi. 1. *pulſus minores.* *Gal. l. de cauſ. pulſ.* 2. *reſpiratio pulſibus reſpondens.* 3. *timiditas.* *Ariſt. lib. de ſen. & inuen.* 4. *ſegnities.* 5. *pectus depile.* 6. *thorax anguſtus pro proportione capitis.* 7. *totius temperies frigida.*

IN frigidiore verò corde 1. pulſus minores exiſtunt, quam modo naturæ conueniat ; non tamen neceſſariò tardiores, vel rariores.

2. Reſpiratio autem, ſiquidem thorax tanto minor extiterit , quanto cor frigidius, pulſibus erit proportionalis. Si verò maior fuerit, quàm pro frigiditatis quantitate, non minor eſt tantùm ſed etiam tardior , & rarior. Tales autem

3. timidi natura ſunt , & ſine au-

da-

dacia; Et

4. segnes: Et

5. nudum pilis habent pectus.

6. De eius verò paruitate distinguẽdum, vt diximus prius.

7. eodem modo & de totius corporis caliditate.

Signa cordis sicci. Cap. 31.

Signa tria cordis sicci, quæ satis ex textu patent.

COr autem siccius 1. pulsus efficit duriores, &

2. iram non promptam quidem, sed feram, & quæ non facilè sedari queat, magnaque ex parte

3. vniuersum corpus siccius existit, nisi hepar obstiterit.

Signa cordis humidi. Cap. 32.

Signa tria humidi cordis, superioribus contraria, deinde transit ad sequẽtia.

COrdis verò humidioris signa.

1. pulsus molles, Et

2. mores ad iram quidem procliues, sed talem, quæ facilè sedari possit, &

3. vniuersum corpus humidius existit, nisi hepar obstiterit. Secundum verò coniugationem qualitatum primarum, cordis intemperaturæ ita se habent.

Signa cordis calidi & sicci.
Cap. 33.

Post simplicia cordis temperamenta sequuntur composita; & primò cordis calidi & sicci sex traduntur signa, in iextu numeris notata. de his vide præter loc. cit. Gal. lib. 1. *de puls. dignosc. c.* 5. *Arist. de respir. c.* 8.

CAlidi & sicci cordis

1. pulsus duri sunt, & magni, & veloces, & frequentes; &

2. respirationes magnæ, & veloces, & frequentes, & multo magis ad velocitatem ac frequentiam vergunt, thorace cordi non aucto proportionaliter.

Hi verò præ cunctis

3. pectus habent maximè hirsutum, & hypochondria,

4. Ad actiones autem prompti sunt;

5. Et iracundi & celeres, & impudẽtes, & mores tyrannicos habent: etenim sunt in iram præcipites, non facilè verò placabiles.

6. De totius autem corporis temperatura, & thoracis amplitudine, his, quæ ante diximus, proportionaliter est distinguendum.

Signa cordis calidi & humidi.
Cap. 34.

Proponuntur signa cordis calidi & humidi, in primis generalia & remissa, deinde intensiora, postremò peculiaria aucti intemperamenti. Numerantur verò in vniuersum sex, quæ numeris distinguuntur. vide Gal. 1. *de caus. puls. c.* 1. *&* 4. 11. *Methodi. c.* 8.

SI verò caliditas vnà cum humiditate dominabitur, minus quidem his, quos antea diximus, hi

1. sunt hirsuti,

2. ad actiones verò nihilominus prompti,

3. non tamen ferus est animus, sed ad iram procliuis tantummodo.

4. Pulsus verò magni ac mollcs, veloces, & frequentes existunt. Et

5. respiratio, cum thorax cordi fuerit proportionalis, eandem pulsibus formam seruabit: si verò minor extiterit, tanto illis velocior erit & frequentior, quanto & thorax minor extiterit. Si

6. autem multa facta fuerit euersio in temperatura, ac si hoc præsertim in humiditate contigerit, præter ea, quæ diximus, contingent etiam ex putredine morbi, his, qui in ipsis fuerint, humoribus corruptis ac putrefactis. Expirationes autem maiores sunt, ac velociores inspirationibus, & submissio arteriæ in pulsibus velox.

Signa cordis humidi, & frigidi.
Cap. 35.

Sequitur intemperies cordis humida, & frigida, cuius etiam sex tradit signa, quæ videantur in textu.

Hu-

HVmidioris vero & frigidioris cordis

1. pulsus quidem molles, moribus autem

2. nequaquam audaces, sed timidi & segnes existunt. Tales etiam

3. glabrum pectus habent,

4. minimeque iram retinent, sicuti & ad iram non admodum sunt prompti. Quæ vero

5. ad thoracem, &

6. universum attinent corpus, distinguere oportet, sicuti ea, quæ antè diximus.

Signa cordis frigidi, & sicci. Cap. 36.

Caput hoc bipartitum est. 1. *signa sex indicantur temperaturæ cordis frigidæ, & siccæ.* 2. *docetur, Galenum hic & alibi non de adscititijs, sed de naturalibus moribus loqui.*

FRigidius

1. vero cor & siccius,

1. pulsus quidem duros reddit,

& paruos ;

2. respirationem autem , siquidem thorax paruitatem cordis frigiditati proportionalem habuerit, moderatam; si vero maior extiterit , rarum ac tardam. Hi vero præ omnibus

3. minimè ad iracundum prompti , cùm autem coacti fuerint irasci quibusdam, retinent iram .

Habent autem maximè omnium.

4. nudum pilis pectus.

5. De paruitate autem thoracis , ac præterea

6. totius corporis frigiditate , similiter distinguendum.

2. Vnum illud commune præter dicta omnia nobis memoria repetentibus, quod, quæcunque de moribus siue quouis alio sermone explicata sunt ad temperaturæ cognitionem , non de probis moribus , aut vitiosis , qui ex philosophia hominibus adueniunt , sed de insitis vnicuique ac naturalibus , à nobis sunt exposita .

Signa calidi hepatis.

Cap. 37.

Cordis tractationem sequitur hepatis, cuius cùm octo sint species intemperiei,

totidem ipsi tribuit capita; exorsus hic à calidi hepatis signis, quorum quinque enarrat. vide de hepate Gal. 4. de vs. part. c. 3.

HEpatis calidioris indicia, 1. venarum latitudo, 2. flaua bilis abundantior, 3. in consistenti verò ætate, etiam atra, 4. calidior ipsis sanguis, atque eadem ratione corpus vniuersum, nisi obstiterit cor. His 5. venter, & hypochondria hirsuta.

Signa hepatis frigidi. Cap. 38.

Signa quinque intemperiei superioris contrariæ, nempe frigidæ exponit.

FRigidioris vero, 1. angustia venarum, 2. pituita abundantior, 3 sanguis frigidior, & 4. totius corporis habitus, nisi à corde calefiat. 5. Venter illis glaber est, atque hypochondria.

Signa hepatis sicci. Cap. 39.

Sicci hepatis quatuor recensentur signa, quæ numeri indicant.

SIccioris autem, 1. sanguis quidem crassior, & 2. minimè abundans, 3. venæ duriores, & 4. totius corporis habitus siccior.

Signa humidi hepatis. Cap. 40.

Totidem sunt signa humidi hepatis, quot sunt sicci, superioribus tamen contraria.

HVmidioris autem, 1. sanguis quidem abundantior, atque 2. humidior, 3. venæ autem molliores: ita vero & 4. vniuersum corpus, nisi partes ad cor attinentes obstiterint.

Signa calidi & sicci hepatis. Cap. 41.

A simplicibus qualitatibus transit ad compositas, incipiens à maximè actiuis. 1. *In priore capitis particula enumerat sex signa calidę & siccę temperaturæ.* 2. *In altera indicat, qua ratione temperamenta cordis & hepatis sese obtundant, reagant, & compatiantur. vide libr.*

lib. Galeni de inequ. intemper. præsertim. cap. 7.

CAlidioris 1. vero simul ac siccioris hepatis indicia, 1. hypochondrium hispidissimum, 2. sanguis crassior simul ac paucior, 3. flaua bilis plurima est, consistente autem ætate, & atra: 4. venarum item latitudo, & 5. duricies. Sic vero & 6. uniuersum corpus se habet.

2. Nam quæ ex corde caliditas originem habet, potest obtundere eam, quæ ab hepate nascitur, frigiditatē; sicuti & frigiditas caliditatem: siccitatem vero non potest humidius cor ad contrarium habitum transferre. Media vero inter has, quæ dictę sunt, ea, quæ ab hepate humiditas oritur. Magis enim à cordis siccitate superatur, quàm siccitas ab humiditate, minus autem à caliditate, adhuc vero multo minus frigiditate. Hęc enim inter omnes qualitates, quæ ab hepate proueniunt, facillimè vincitur. Liquet autem, quod, cùm in unum conuenerint utriusque principij temperaturæ, totum exquisitè secundùm illas afficitur corpus, pau-

lo vero inferiùs ipsorum dicentur indicia.

Signa hepatis calidi, & humidi. Cap. 42.

Signa quinque hepatis calidi & humidi satis ex ipso textu, & numeris appositis patent. De putredine, de qua hic mentio, vide Arist. 4. Metheor. cap. 2.

HVmidius autem ac simul calidius hepar,

1. minus quidem quàm calidius & siccius, hypochondria reddit hispida.

2. Plurimum vero sanguinis, &

3. Venas amplas,

4. habitumque calidiorem, atque humidiorem facit, nisi obstiterit cor. Si vero amplius in ambabus qualitatibus à naturæ modo recedat,

5. à morbis, qui ex putredine ac vitiosis humoribus fiunt, facillimè capitur. Adhuc autem magis, si plurimùm augeatur humiditas, caliditas verò parum. Si autem contrà parum quidem humiditas crescat, plurimũ vero caliditas, minimè vitiosis humorib⁹ laborãt.

Si-

Signa hepatis humidi & frigidi. Cap. 43.

Quatuor signa hepatis humidi, & frigidi proponit; vide textum.

HVmidius autem & frigidius hepar habet

1. hypochondria glabra,
2. sanguinem verò pituitosiorem generat,
3. cum venarum angustia:
4. sic & reliquum habet corpus, nisi à corde ad contraria transferatur.

Signa hepatis frigidi, & sicci. Cap. 44.

Signa itidem quatuor hepatis frigidi, & sicci, ultimæ intemperiei composita.

FRigidius autem & siccius hepar,

1. cum pauco sanguine,
2. & venarum angustia efficit corpus, atque
3. frigidius, &

4. hy-

4. hypochondria glabra, nisi & hic cor dominetur.

Signa calidæ, frigidæ, humidæ, & siccæ temperaturæ testiculorum.

Cap. 45.

Tractatio signorum temperaturæ testiculorum in quinque secatur capita, in hoc primo agit de quatuor temperaturis simplicib⁹, vnde totidẽ capitis resultãt particulæ: 1. *Quatuor signa calidi testiũ temperamenti.* 2. *Contraria frigidi.* 3. *Signa humidi.* 4. *Sicci signa contraria. De testiculis vide Arist. lib.* 5. *de gen. anim. c.* 7. *Gal.* 1. *de sem. cap.* 15. & 16. & 14 *de vs. part. c.* 6. & 7.

TEmperatura 1. verò testiculorum
calida quidem,
1. ad Venerem procliuis, &
2. masculorum generatrix, &
3. fœcunda,
4. celeriterq; genitales partes obsepit pilis, si mul autem & circumiacẽtes attingit partes:
2. Frigidior verò contraria efficit.

3. Et

3. Et humida quidem, multo & humido semine abundat:

4. sicca paucum, & modicè crassum generat semen.

Signa calidæ, & siccæ temperaturæ testiculorum. Cap. 47.

Post temperaturas testium simplices agit de compositis, & primò de maximè actiuis, quarum quinque ponit signa Arist. 2. de gen. an. c. 5. & 3. de histor. an. c. 22.

CAlidior vero ac siccior, Et

1. crassissimum semen habet, Et

2. fœcundissima est, ac

3. celerrimè ab initio protinus ad coitum excitat animal. Itaque & his

4. genitales partes citissimè hispidæ fiunt, atque omnes quæ circumstant, suprà quidem usque ad regiones, quæ ad vmbilicum sunt, infra verò usquè ad media femora. Petulca igitur est & ad libidinem prona huiuscemodi temperatura,

5. statim verò satiatur, & si cogatur, offenditur.

Si-

Signa calidæ, & humidæ temperaturæ testiculorum. Cap. 47.

Hoc caput signa quinque habet calidæ & humidæ temperaturæ testiculorum. Gal. 6 de loc. aff. c. 5.

SI autem caliditas humiditati con-iungatur,

1. hirsuti quidem tales minus,
2. plus verò semine abundant,
3. non tamen plus cæteris appetunt,
4. Sed minori detrimento præter modum venereis indulgent.
5. Quòd si satis excreuerint & caliditas, & humiditas, non sine detrimento à venereis abstinent.

Signa frigidæ, & humidæ temperaturæ testiculorum. Cap. 48.

Signa quinque temperaturæ testium frigidæ & humidæ. Arist. 2. de generat. an. cap. 5.

Si

SI verò frigidiorem & humidiorem temperaturam testiculi habuerint,

1. partes circũpositæ glabræ sunt, &

2. tardè rem veneream exercere incipiunt, neque proni ad actum huiusmodi sunt.

3. Aquosum verò & tenue ipsis semen,

4. & parum fœcundum,

5. & fœminarum generatiuum, vel omnino non generans.

Signa frigidæ, & siccæ temperaturæ testiculorum. Cap. 49.

Signa frigidæ & siccæ temperaturæ similia sunt antedictæ, nisi quod crassius, & paucius habet semen.

FRigidior verò & siccior temperatura similis quidem in reliquis est antedictæ, crassius verò in ipsa semen existit, atque omnino paucum.

De habitu totius corporis. Cap. 50.

Præmissis signis temperamentorum prin-

principalium partium, sequentibus decem capitibus agit de temperie totius; in primo premittit necessarias dearticulationes indiciorum: in nouem reliquis subiungit nouem temperamentorum notas, vnius temperati, quatuor simplicium, & totidem compositorũ. Presens caput duas habet particulas. 1. *Reuocatur in memoriam, quid ex dictis habeatur ad cognitionem temperaturæ totius; explicatur etiam, quid nomine totius intelligatur.* 2. *Designantur duę conditiones, quibus signa dicẽda verificentur: prima, vt sint in regione tẽperata: deinde, vt in habitatione temperata. Gal. de anat. musc. & 12. de vs. part. c. 3. Hipp. de loc. aer. & aq.*

TOtius 1. autem corporis habitus dixímus & ſuperius, quomodo & hepatis, & cordis naturam ſequatur. Ei autem magis aſſimilatur, quod vnam aliquam ex primis qualitatibus potentiorem habuit, quas & effectiuas appellant. Totius verò corporis habitus in illis maximè dicitur partibus, quæ primæ oculis ſubijciuntur, ſunt verò hæ; muſculi, qui omnia ambiunt oſſa, carnes quædam compoſitæ ex prima &

ſim-

simplici carne, & præterea fibris, quibus innascuntur. Propria enim musculorum substantia his duobus constat: quæ vero ad ipsos vasa pertingunt, veluti riui quidem sunt, qui non eorum substantiam complent, sed eis subministrant, ut in vita permaneant

2. Dicentur igitur & horum temperantiæ indicia in bene temperata habitatione. Nam quæ malè temperatæ sunt, cutem permutant ex se ipsis formantes, & quædam ex indicijs corrumpunt. Ita & in bene temperata regione, si quis se tempore æstatis nudū Soli exposuerit, permutabit indicia, quę ex colore, & duritie, & mollitie sumuntur. Si vero, quemadmodum bonam temperiem obtinet locus, ita & ipse bene temperato victu vsus fuerit, ut qui neque se nudum singulis diebus in Sole plurimùm torrefaciat, neque, sicut plerique, more puellarum continuè in umbra degat, hic certa atque exquisita temperaturæ indicia præseferet. Tanquam igitur de hoc futurus sit sermo, nunc ad ipsum accedemus.

Si-

Signa moderatæ temperaturę.
Cap. 51.

Signa temperaturę moderatæ proponit, & quodnam corpus temperatissimum sit, definit. Particulę sunt duę capitis. 1. *Tria habet signa corporis temperati, ex* 1. *colore,* 2. *capillis, &* 3. *habitu desumpta.* 2. *Vnde nascuntur excessus, & quod sit corpus temperatissimum. Galen.* 2. *de temper.*

MOderatæ 1. temperaturæ indicia secundum totum animalis habitum:

1. color quidem ex rubro & albo commixus,

2. capilli verò flaui, & plerumq; mediocriter crispi:

3. carnositatis autem mediocritas in qualitate & quantitate.

2. Medium est enim exquisitè huiuscemodi corpus inter omnes excessus, ut qui ad ipsum dicantur, & intelligantur. Nam & crassum corpus ad hoc comparatum dicitur crassum, & tenue ad hoc eodem modo: & carnosum

sum,& macilentum,& pingue, & durum, & molle, & hispidum, & glabrum. Nullum igitur horum corpus est,mediocritatem habens, sed, qualis Polycleti regula, ad summum totius peruenit mediocritatis, adeo ut neque tangentibus molle videatur,neque durum, neque frigidum: inspicientibus verò,neque hirsutum, neque glabrum, neque crassum, neque tenue, aut aliquam aliam habens immoderationem.

De corpore calidiore Cap. 52.

Signa temperiei calida quinque, ex tactu,hirsutie,adipe,colore & capillis desumpta.

QVæcunqne autem in caliditate à medio recedunt, non tamen in humiditate, vel siccitate, hæc, quantum ad carnosum genus attinet (de hoc enim præsens est sermo) videntur quidem

1. tangentibus calidiora tantum, quantum & eorum temperatura calidior. Tanto verò

2. ma-

2. magis hirsuta sunt, quanto & calidiora; Et
3. minus pinguedinis habent.
4. Colorem autem rubrum, Et
5. capillos nigros habent.

Signa frigidæ temperaturæ.
Cap. 53.

Signa temperamenti frigidi totius quinque enarrantur. Hippocrat. 5. Aphor. 17. & 19.

FRigidioris autem temperaturæ indicia sunt,
1. pilorum carentia.
2. pinguedo, Et
3. frigiditas, quæ tangentibus obviat.
4. Color autem unà cum capillis etiam rufior, Et
5. Vbi multa frigiditas adfuerit, lividus quodammodo existit, quem nonnulli Medici colorem plumbeum appellant.

Si-

Signa ſiccæ temperaturæ. Cap. 54.

Signa qualitatum paſſiuarum ſunt pauciora; de ſiccitate temperaturæ vide Galen. 6. de ſan. tuend. c. 2.

SIccior autem temperatura tanto gracilior eſt, & durior bona temperatura, quanto maior eſt ſiccitas; in reliquis autem eodem modo ſe habet.

Signa humidę temperaturę. Cap. 55.

Duo indicia temperaturæ humidæ aſſignat. Gal. 2. de temp. c. 4. Deinde regulam pro temperaturis compoſitis præſcribit.

ET humidior etiam in reliquis quidem eodem modo ſe habet: melius autem

1. carnoſa, &

2. mollior. Et quidem ſecundum coniugationem qualitatum primarum factæ intemperaturæ compoſitam habent indiciorum formam.

Si-

Signa calidæ & ſiccæ temperaturæ. Cap. 56.

A ſimplicibus tranſit ad temperaturas compoſitas, & primò ad calidam, & ſiccam, cuius quinque enumerat ſigna, per textum clara.

CAlidior ſimul ac ſiccior, 1. hirſutior, ac 2. calidior & durior exiſtit, & 3. pinguedine caret, graciliſque eſt, & 4. capillos nigros habet. 5. Si verò multum in caliditate excedat, color quoque niger illi adeſt.

Signa calidæ & humidæ temperaturæ. Cap. 57.

Temperaturæ calidæ & humidæ ſeptem indicia aſſignat, eorumque quædam ſecundum remiſſionem, & intenſionem conſiderat. Gal. 6. de ſanit. tuen. & 11. Methodi, c. 8.

CAlidior autem & humidior temperatura 1. mollior & calidior, & 2. carnoſior tanto eſt bona temperatu-

ra,

ra, quantum & utrisque qualitatibus aucta fuerit. Quod si primum augeatur, citò similiter à putredinis corripitur morbis, quoniam & humorum vitio promptè laborat. Si verò parum quidem humidior sit, multò verò calidior, molliores quidem parum huiuscemodi sunt his, qui bonam habent temperaturam, & magis carnosi, non parùm verò hirsutiores, & tangentibus non parum calidiores.

3. nigri verò eis capilli,

4. et caro pinguedine caret.

5. si verò paulò quidem calidior, multo verò humidior, mollis his caro est & multa.

6. est color commistus ex albo & rubro.

7. et tangentibus paulo calidiores. Et ut summatim dicatur, omnibus temperaturæ coniugationibus semper superexcedentis qualitatis indicia eminebunt.

Signa frigidæ & humidæ temperaturæ. Cap. 58.

Posti enumerata quinque signa tem-

periei frigidę, & humidę, eadem considerat secundum intẽsionem vtriusque qualitatis, & alterutrius : Gal. 2. de tẽp. c. 4.

FRigidior autem atque humidior temperatura, si parum quidem utraque augeatur,

1. capillis nuda est,
2. et alba,
3. et mollis
4. et crassa.
5. et pinguis : Si verò magis excesserit, reliqua quidem sunt secundum proportionem augmenti qualitatum, color autem vnà cum capillis rufus, quemadmodum si plurimum utraque augeatur linidus. Si verò qualitatum augmentum fuerit inæquale, eius, quæ superexcesserit, indicia eminebunt.

Signa frigidæ, & siccæ temperaturę. Cap. 59.

Huius capitis quatuor sunt particulę. 1. *Signa sex temperaturę frigidę & siccę ęqualiter.* 2. *Signa quatuor eiusdem temperaturę secundum ętatem decrescen-*

scentem. Arist. 3. de hist. an. c. 19. deinde repetit regulam suprà de intensione & remissione qualitatum traditam. 3. Signa à facili vel difficili alteratione. 4. Documëta quatuor, ne in prædictis toti⁹ signis inuestigandis decipiamur; 1. sumitur à temperie omnium musculorum. Gal. 2. de temp. c. 6. 2. à quantitate ossium. 3. à carnis mollitie & duritie 4. ab humiditate carnis. Gal. 7. Method. c. 2.

SI 1. autem frigiditas unà cum siccitate æqualiter augeatur,

1. natura durum,
2. ac gracile,
3. et glabrum corpus habent,
4. et tangentibus frigidum,
5. pinguedo tamen ipsis, etsi graciles sint, per carnes dispersa.
6. capilli autem, & color frigiditatis modum ac proportionem sequuntur.

2. vbi verò calida & sicca temperatura in tempore decrementi in frigidam & siccam labitur, tunc horum

1. habitus gracilis quidem similiter est,
2. durus; est verò etiam

3. melancholicus, et ob id
4. niger simul & hirsutus.

Vbi igitur altera qualitas multùm dominatur, altera verò parum à mediocritate recedit, superabunt eius, quæ dominatur, exilia autem erunt alterius qualitatis indicia.

3. In omnibus verò, de quibus supra diximus, & postea dicemus, commune est temperaturę indicium, si membrum facilè frigefit, vel frigiditatis, vel raritatis: si verò non facilè, vel caliditatis, vel densitatis, si verò à desiccantibus offendatur, & aridum & siccum, & non facilè mobile fiat, siccitatis; quemadmodum & si ab humectantibus grauiter se habeat, humiditatis.

4. Inspicere autem oportet, 1. si eãdem omnes musculi seruant temperaturam, vel minimè eandem; atque in omnibus simul animaduertere. 2. subiectorum ossium quantitatem.

Nonnunquam enim gracilius videtur membrum, cum tamen non sit gracilius quod ad masculos attinet, sed propter ossium tenuitatem tale videtur.

3. Sic & crassius quibusdam plerumque apparet, non ob ossium amplitudinem, sed ob multitudinem carnis: quæ vel aucta, vel comminuta, vel durior, aut mollior effecta, siccius, aut humidius membrum ostendit: Pauca igitur ac dura, siccius; multa autem & mollia, humidius.

4. sic & intermedia spatia similarium corporum, ut plus vel minus humidæ substantiæ in seipsis continent, vel crassius, vel tenuius, vel humidius, vel siccius membrum ostendunt; humidius quidem, ubi subtilior, & copiosior est humiditas; siccius vero, ubi crassior simul & minor. Ipsæ enim solidæ corporis partes, quæ verè solidæ sunt ac primæ, nullo modo possunt effici humidiores. At satis est, si quis eas celerius exiccari prohibeat. Intercepta autem in ipsis spatia, hac vel illa humiditate complere possibile. Hæc verò proprium est partium similarium alimentum, quod ex appositione fit, & non per vasa attrahitur. Communis autem hęc ratio & omnium similariũ partium existit. Et iterum in salubrium atque insalubrium causarum doctrina

repetetur. Nunc autem ea, quæ ordine sequuntur, attingamus.

Signa ſicci ventriculi. Cap. 60.

Vt muſculi cerebro, atque adeo totî corpori inſeruiunt, ita ventriculus hepati, pulmo cordi. cùm igitur ſupra de partibus his principalibus, deinde de muſculis egiſſet, nunc de ventriculo agit (poſtea de pulmone acturus) cui quinque ſequẽtia tribuuntur capita. Orditur autem à ſignis tribus ventriculi ſicci. Ariſt. 2. de anim. t. 28.

VEntriculi indicia, eius quidem, qui natura ſiccior exiſtit,

1. ſi celeriter ſitibundi fiant
2. ſi paucus eis ſufficiat potus, à copioſiore autem aggrauentur, fluctuationibus infeſtentur, aut ſuperfluitet id, quod abundat,
3. et cibis delectentur ſiccioribus.

Signa humidi ventriculi. Cap. 61.

Tria ſigna ventriculi humidi propo-

nit

nit superioribus planè contraria.

HVmidioris autem, si 1. neque stribundi fiant,

2. et superabundans humidum facilè tolerent,

3. et cibis gaudeant humidioribus:

Signa caliди ventriculi.
Cap. 62.

Quatuor signa ventriculi calidi. Aristot. 2. de anim. t. 5. Gal. 8. Meth. c. 9.

CAlidior verò natura ventriculus 1. melius quidem cõcoquit, quàm appetat,

2. et multo magis quæcunque dura sunt, et non facilè alterationem suscipiunt. Nam quæ facilè alterantur, in ipso corrumpuntur;

3. gaudetque calidis potibus ac cibis:

4. neque à frigidis ullam percipit noxam, si modicè ipsis utatur.

Signa frigidi ventriculi.
Cap. 63.

Duæ sunt huius capitis particulæ. 1.

Signa quinque frigidi ventriculi. Gal. 1. de loc. affect. c. 4. & 1. de alim. c. 16. 2. Regula communis omnibus temperaturis, & duplex malarum temperaturarum differentia.

FRigidior 1. verò natura ventriculi 1. ad appetendum quidem plurimum viget, ad concoquendum autem minimè, præsertim cibos, qui non facilè alterationem suscipiunt, et frigidi sunt.

2. Cito itaque in ipso acescunt, atque ideo acidis eructationibus talis vẽtriculus abundat: et

3. gaudet quidem frigidis, sed

4. ab eorum usu immodico facilè offenditur.

Sita et ea, 5. quæ extrinsecus frigida occursant, nequit longiore tempore tolerare, quemadmodum neque calidus calida.

2. malæ vero temperaturæ, quæ morbi ratione ventriculum occupant, hoc differunt ab his, quæ naturales existunt, quoniam contrariá, non autem similia appetunt, quemadmodum naturales.

De

De malis temperaturis in ventriculo coniugatis. Cap. 64.

Caput hoc duas etiam habet particulas. 1. Agit de compositis ventriculi temperaturis breuissimè quia ea ex simplicib⁹ facilè cognoscũtur. 2. Signa ventriculo & alijs partibus communia affert.

MAlæ 1. autem temperaturæ in ventriculo coniugatæ, ex compositione simplicium cognoscẽtur. Oportet autem eas, quæ iam sunt dictæ, diligenter aduertere, easdem ab his, quæ dicentur, distinguentes.

2. non solùm enim ventriculus sitibundos, & minimè sitientes facit, & frigidi calidiue potus appetentes, sed in ea quoq; viscera, quę thorace sunt, ut cor, & pulmo.

De signis calidi pulmonis. Cap. 65.

Occasione sitis, & causæ eius, transit ad temperaturas pulmonis; & in primis signa quinque tradit calidi pulmonis. De

pulmone vid. Gal. 4. de vſ. part. c. 15.

SEd qui ob horum ſitiunt caliditatem, 1. plus inſpirant, & longius expirant, atque

2. æſtum in thorace ſentiunt, non ſicuti qui ventriculi ratione in hypochondrijs caliditatem patiuntur, & cum potauerint;

3. non ſtatim ſedatur ſitis,

4. & magis ſedatur ſitis, cùm frigidum hauſerint, quàm cum calidum nimis.

5. refrigerat autem eoſdem & frigidi aeris inſpiratio, quæ nihil eos iuuat, qui ventriculi ratione ſunt ſitibundi.

De ſignis pulmonis frigidi.
Cap. 66.

Pulmonis frigidi tria aſſert ſigna. Hip. Aphor. 23.

ITa & hi, qui contrario modo ſe habent, à 1. frigida inſpiratione

ſen-

sensibilitermolestantur. Et hoc maximum sit frigidi pulmonis indicium.

2. vti verò frigidum inspirantes manifestè molestiam sentiunt, & frigiditatem; ita & caliditas est ipsis amica. sed &

3. pituitæ excrementa cùm screatu & tussi expuunt.

Signa pulmonis sicci & humidi. Cap. 67.

Hoc caput duas habet particulas. 1. Proponit signa duo pulmonis sicci. 2. Totidem habet signa pulmonis humidi.

PVlmonis 1. autem siccitates
1. excrementis vacāt, & pituita,
2. et vocem claram efficiunt.

2. Quemadmodum humiditates
1. obscuram reddunt, ac raucam.
2. & cùm vehementiùs ac acutiùs loqui studuerint, tunc intercidunt excrementa.

De voce. Cap. 67.

Cùm inter pulmonis indicia vocis, me-

miniſſet, hic inſtituit agere de voce, vt inde aſperæ arteriæ temperiem & conſtitutionem venetur. Tres autem ſunt capitis particulæ. 1. Agit de voce magna & parua. 2. de voce leni & aſpera. 3. de acuta & graui; iiſq; ſingulis naturalibus & innatis.

NOn 1. tamen ipſa vocis magnitudo à caliditate, ſicuti neque paruitas à frigiditate fit, ſed altera quidem aſperæ arteriæ latitudinem ſequitur, et vehementiorem efflatum: paruitas verò à contrarijs aduenit cauſis. Quare neque ſemper, neque primùm, ſed ex accidenti, et ſolas naturales temperaturas, non autem aduentitias, vocis magnitudo aut paruitas ſequitur. Quoniam etenim talia inſtrumenta temperaturæ ratione ſunt facta, ad hæc autem conſequitur huiuſmodi vox, idcirco contingit ex voce, de naturali temperatura ratiocinari.

2. Nam et lenis vox arteriæ lenitatem conſequitur, ſicuti et aſpera aſperitatem. Lenitas igitur arteriæ moderatam ſequitur temperaturam: aſperitas verò ſiccitatem. Aſperitas etenim

fit

fit ab inęqualitate in duro corpore. Arteriam verò duram similarium partium, ex quibus constat siccitas facit, inæqualem verò dispersæ in eisdem humiditatis defectus.

3. Eodem modo neque acuta natura vox sine angustia faucium, neq; grauis sine latitudine fieri potest. Angustia igitur ab innata nascitur frigiditate: latitudo autem à caliditate. Differentijs igitur naturalium vocum hæ, quæ ex affectu aliquo fiunt, sunt proportionales, quæ et ipse indicia sunt causarum, à quibus oriuntur: de quibus in libris de Voce sufficienter distinxi.

Cur de temperamentis aliarum partium non egerit. Cap. 69.

Concludit sermonem de membrorum tẽperamentis cognoscendis, & in reliquis partibus tentare iubet cognitionem ex ledentibus & iuuantibus.

RElique verò partes animalis interiores exilia habent temperaturæ indicia. Tentandum tamen ea ex

iuua-

iuuantibus atque nocentibus agnoscere, ac præterea ex naturalium potentiarum operationibus. Dictum verò est in tertio De causis accidentium, quænam temperatura antecedat uniuscuiusque facultatis virtutem et vitium. Temperaturarum itaque indicia iam dicta sunt.

Signa naturæ instrumentariæ.
Cap. 70.

Traditis notis temperamentorum naturorum, nunc eadem ostendere vult in compositione praua quadruplici, in magnitudine, figura, numero, situ. Et hic quidem dicit facile esse iudicium in externis & obuijs, non item in internis.

CIrca magnitudinem verò, vel formationem, vel numerum, vel situm, quæcunque quidem sensibus subijciuntur errata, cognitu faciliora sunt; quæ autem sensu percipi nequeunt, quædam cognitionem habent difficilem, quædam verò facilem. Capitis igitur magnitudo, ac figura, et cerebri simul in propatulo sunt; et de his antea di-

diximus. Sic & quæ thoracis sunt, et quæcunque ad scapulas, et humeros, vel brachia, vel cubitos, vel extremas manus, vel coxendices, vel femora, vel tibias, vel pedes attinent, non est difficilè dignoscere, siue secundum formationem, siue secundum magnitudinem ex his aliquid non rectè se habeat, siue secundùm numerum, siue secundùm partium, ex quibus constant, composituram; singularum etiam operationis detrimenta facilè patent. Quæ autem intra corpus sunt, non omnia possunt dignosci.

De ventriculo. Cap. 71.

Esse tamen aliquando etiam internæ tam manifesta, vt sensibus possint deprehendi, exemplo probat ventriculi parui & rotundi. Gal. 4. de vs. part. c. 7.

CVIusdam enim ventriculum adeo paruum, ac rotundum, ac prænum secundùm hypochondria situm habentem inspexi, ut manifestè ex circũscriptione propria et videntibus, & tangentibus appareret.

De vesica. Cap. 72.

1. *Alterum exemplum de vesica par-* 2. *In reliquis coniectura artificiosa procedendum est.*

SIc 1. & cuiusdam vesicam contigit intueri ita expositam, ac paruam, ut si quando urinam tardiùs excerneret, tumor quidam circumscriptus manifestè cerneretur : non tamen aliud ex interioribus quicquam mihi umquam manifestum præbuit indicium. Tentare autem oportet, quàm maximè fieri potest, virtutem ipsorum ac vitium, & si non certa scientia : artificiosa saltem coniectura dignoscere, veluti, exempli gratia, in hepate.

De hepate. Cap. 73.

Exempla ponit, qua ratione per coniecturam deprehenderit parvum hepar, & meatus angustos.

VIdi enim aliquos, & quidem multos, quibus venæ erant angu-

stæ,

ſtæ, & totum corpus colore priuatum. Quòd ſi pluſculum cibi aſſumpſiſſent, qui præſertim flatibus excitandis aptus eſſet, & craſſus ac tenax, nonnulli quidem veluti pondus quoddam inſidens atque ſuſpenſum, in profundo dextrę hypochõdriorum partis ſentiebant: nonnulli verò cum quadam tenſione dolorem ſentientes. In his quidem veriſimile eſt hepar eſſe paruum, atque anguſtos meatus habere.

De homine pituitoſo vomente bilem. Cap. 74.

Alia artificioſa coniectura Galeni, qua porum felleum in fundum ventriculi delatum deprehendit; vbi neceſſitatem Anatomiæ aſſerit. Vide ipſum Gal. in lib. de anat. admin.

ALterum autem vidi, cuius totus habitus pituitoſus erat, quotidie tamen bilem pallidam euomebat. Cenſui igitur inſpicienda alui excrementa, in quibus minimum bilis apparebat. Quare coniectura quadam comprehendi, eum meatum, qui bilioſum egur-

egurgitat humorem, non paruam eiusdem partem ad imum ventriculi locum, quem Græci pyloron, id est, ostiarium vocant, effundere, ut in quibusdam apparet animalibus. Ex quibus constat, quòd multum ad eorum, quæ latent sensum, confert dignotionem, ea quæ ex sectionis inspectione habetur, peritia, & operationum atque utilitatum inuentio. Quicunque igitur facultatem dignoscendi huiusmodi corpora, quæ ita lapsa sunt, consequi cupit, oportet ipsum in sectionibus, ac in operationum atque utilitatum inuentionibus exercitari. Scripsimus verò de omnibus seorsum in tractatibus alijs, de quibus in fine libri omnino proposuimus facere mentionem, ut discendi cupidi intelligant, quæcunque discere optauerint, ex quonam possint haurire tractatu. Sed de hisce quidem satis.

Quomodo cognoscantur corpora ægrotantia. Cap. 75.

Cùm hactenus egisset de signis corporum salubrium, sequentibus nouum capi-

ti-

tibus aget deſignis corporum inſalubriũ vt nunc; & in primis generatim, deinde, in ſpecie. In hoc verò capite tradit ſigna affectuum externorum, quæ viſu & tactu cognoſcuntur, vt ſunt magnitudo, color, figura, numerus, ſitus, duricies, mollities, frigiditas, & caliditas; deinde ſigna affectuum internorum, quæ ſumuntur à læſis operationibus, excretis, dolore, & tumore.

QVæcunque verò ut nunc inſalubria ſunt, hoc eſt, quæ iam ægritudinem patiuntur, dignoſcere, & hæc ipſa oportet. Quę quidem ſubijciuntur ſenſui, ex eorum quæ ipſis inſunt ſecundùm naturam permutatione, in magnitudine, colore, figura, & numero, & ſitu: & ea, quæ eſt ſecundum duritiem, & mollitiem, & frigiditatem, & caliditatem, differentia. Quæ autem viſum effugiunt, ut ſummatim dicam, ex operationum læſionibus, aut his, quæ excernuntur, aut doloribus, aut tumoribus præter naturam, aut horum quibuſdam, vel omnibus.

De signis cerebri patientis. Cap. 76.

Ea, quæ de affectuum internorum signis dixerat, nunc in specie applicat, & primò cerebro patienti, ex cuius operationibus læsis, excretis, & dolore, morbi reliqui deprehenduntur. Gal. l. 3. de symp. caus. c. 3.

PArticulatim autem, quæ quidem sunt in cerebro ęgræ dispositiones,

1. aut dementiæ speciebus:

2. aut sensuum, aut imaginationum læsionibus: aut actuum, qui secundùm electionem fiunt:

3. aut ex his, quæ excernuntur per palatum, & nares, & aures:

4. aut horum, qui ei dolores eueniunt, differentijs.

Signa cordis patientis: Cap. 77.

Signa octo cordis ægrotantis tradit. Vide Gal. 5. de loc. aff. c. 1. Arist. 3. de part. an. c. 4.

Quæ

QVæ verò in corde fiunt, 1. ex difficilis anhelitus speciebus,
2. et palpitationibus, quæ ipsi contingunt:
3. ex pulsibus quoque eius, atque arteriarum:
4. et ab excandescentis iræ celeritate, aut tarditate,
5. à febribus,
6. et refrigerationibus,
7. et in colore differentijs, ac eis, qui ipsi adueniunt,
8. doloribus.

Signa hepatis patientis.
Cap. 78.

Indicia octo hepatis patientis. Hippocr. 1. de humor. 1. & ibid. Gal. & 4. Aphor. com. 53. & 5. de loc. aff. c. 6. & 7.

QVæ autem in hepate, 1. ex defectu humorum, atque abundantia, & ad id, quod præter naturam,
2. euersione,
3. & colore malo; ac præterea
4. ex

4. ex permutatione naturæ in his, quæ ad alimenti diductionem,

5. aut superfluitatum attinent excretionem.

6. sed & ex grauitatibus,

7. & tumoribus,

8. doloribus non modo his, qui in eo ortum habent, verùm & in illis, qui compatiendi ratione proueniunt, quemadmodum in aliqua vel difficultatis spirandi, vel tussis specie.

Signa ventriculi patientis. Cap. 79.

Septem signa ventriculi laborantis. Gal. 7. meth. c. 12. & 1. de loc. aff. c. 3. & 3. de sympt. caus. 2.

SIcut ventriculi affectus cognoscitur, ubi

1. in concoctione,

2. & appetitu humidi, vel sicci alimenti,

3. vel superfluitatum excretione delinquitur; ita etiam

4. ex singultibus,

5. eructationibus,

6. nau-

6 nauſeis,

7. vomitibus, & ipſis eorum, quæ euomuntur, ſpeciebus, & doloribus, & tumoribus.

Signa thoracis patientis.
Cap. 80.

Caput hoc quinque habet particulas. 1. *Signa quatuor thoracis patientis, & quinque aſperæ arteriæ.* 2. *Tradita ſigna cognitioni aliarum partium inſeruire.* 3. *Differentiæ tumorum.* 4. *Cauſæ doloris, ſolutio continui, & alteratio.* Gal. 12. *Meth. c.* 7. 5. *Læſa actio quot modis fiat.*

ITa 1. & thoracis agnoſcuntur affectus,

1. ex ſpirandi difficultatibus,

2. tuſſibus,

3. & doloribus, qui in ipſo fiunt,

4. & ex eorum, quæ cum tuſſi expuuntur, differentia.

Sic & aſperæ arteriæ ægritudines,

1. difficiles anhelitus,

2. & tuſſes,

3. & dolor in loco,

5. &

4. & quæ expuuntur,

5. & vocis offensiones ostendunt.

2. Secundum verò eandem proportionem & in alijs omnibus accidit partibus. Nam ex tumore, dolore, & operationum læsione, & excrementorum differentia sumentur indicia.

3. Tumores autem præter naturam in inflammationibus, scirrhis, œdematis, & erisipelatis sunt explorandi.

4. Dolor autem quemcunque obsederit locum, aut cotinuitatis solutionem, aut subitam alterationem ostendit. Soluitur autem continuitas incisione, excisione, fractione, & tentione. Alteratur verò substantia, caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate.

5. Læditur autem operatio tripliciter; aut quia debiliter, aut quia vitiosè, aut quia nullo modo fit.

De differentia eorum, quæ excernuntur. Cap. 81.

Signa ab excretis sumenda sunt à triplici excrementorum genere, quæ hic tangit, sed aliò lectorem ablegat.

Quæ

QVæcunque autem excernuntur,
1. nonnulla quidem sunt veluti partes patientium locorum,
2. nonnulla verò tanquam excrementa.
3. quædam verò in ipsis naturaliter continentur; & singula propriam facient indicationem. Dictum est autem de hisce omnibus plenius in tractatu *De locis affectis*; quem nullus ante nos, aut in artem, id est, methodum redegit, aut ad absolutam perfectionem deduxit. Quemadmodum et in omnibus alijs euenit, quibus initium quidem aliquod ab antiquis est datum, non tamen absolutum est opus. Ægrotantium itaque corporum ex tractatu illo indicia sunt sumenda Eorum autem, qui in ægritudinem lapsuri sũt, et qui sanitati restituendi, præsens doctrina complectitur.

Signa futuræ ægritudinis.
Cap. 82.

Postremo hoc loco tractationis de signis, agit de signis neutris tum deciden-

xię, tum conualescentię. Hoc igitur caput cum acutissimo Sanctorio in sex particulas secamus. 1. Signa neutra vt nunc decidentia, eorum differentias, & duplex significatum secundum duplicem relationem tradit. 2. Signa neutra diuerso respectu posse dici sana, ægra & neutra, eiusque rationem edocet. 3. Signa neutra conualescentia tangit, eorumque diuersum respectum & appellationem demonstrat. 4. Signa sedecim proponit futuræ ægritudinis, quę prodeunt ab his, quæ sanis insunt secundum naturam, mutato tamen aliquo accidentium. 5. Signa neutra, quæ conueniunt sanis, sed præter naturam, & quæ solum exiguitate à morbosis differunt, vnique aliquando sunt neutra, alteri ægra. 6. Percurrit quinque sensus, in quibus eodem modo signa iudicanda sunt secundum paruam aut magnam læsionem operationum.

EOrum 1. igitur indicia, quibus ægritudinis periculum imminet, mediam formam habent inter ea, quæ sanis & quæ ægrotantibus eueniunt. Siquidem sanis omnia secundum naturam insunt: præter naturam verò ægro-

grotantibus, quatenus ægrotant. In confinio autem horùm ea, quæ sunt corporum ægrotatuiorum indicia: quorum nonnulla quidem sunt ex eorum genere, quæ secundum naturam, sed vel qualitatibus, vel quantitatibus, vel temporibus permutata: quædam autem ex his, quæ præter naturam, sed minora his, quæ ægritudinibus adsunt. Atque idcirco hæ quidem corporum dispositiones, quæ in ægritudinem casura monstraui, sunt ex neutrorum genere, atque unà, ea quæ ipsa indicant, signa. Primò enim hęc sanitatem ostendunt, secundò autem ægritudinem: Et fiunt eadem signa secundum ad aliquid habitudinem neutra, & insalubria: quæ quidem præsentem dispositionem ostendunt, neutra; quæ verò futuram præmonstrant, insalubria.

2. Eadem verò ratione, & quæcunque ægrotantibus signa salutaria apparent, dicentur quidem salubria, quia futuram sanitatem ostendunt: dicentur etiam ægra, quatenus præsentem ostendunt ægritudinem. Neque in ambiguo est, quòd quæ sunt utrorumque

indicatiua, neutra dicentur, ſecundum unum quoddam neutri vocabuli ſignificatum. Neque verò mirari oportet eadem ſigna, tres in diuerſis habitudinibus ſeruare rationes, quæ & ſalubria & ægra, & neutra dicuntur.

3. Secundum verò alterum ſignificatum, quæcunque his, qui à morbo referuntur, inſunt, ſigna neutra appellamus: neque in alio ſignificato accipiunt ea, quæ ſenibus inſunt. Hæc quidem omnia pluribus & conceptibus, & rationibus ſubijciuntur. Quæcunque verò in his, qui integra ſanitate fruuntur, inter ſalubria tantummodo computantur. Et quæcunque ægritudinibus inſunt, neque futuram prænunciant ſanitatem, ſoli & hæc ægrorum conceptui ſubijciuntur. Sed de his quidem poſtea dicetur.

4. Nunc quæ futuram præmonſtrant ægritudinem, prius exequamur. Cùm verò ſit eorum differentia duplex, priùs ea pertractemus, quæ quantitatibus, vel qualitatibus, vel temporibus, non autem proprijs ſpeciebus ab eo, quod ſecundum naturam euariant: veluti

1. ciborum appetentia intenta, vel dissoluta, aut quæ non feruet tempus consuetum, aut quæ ad edulia non usitata feratur,

2. aut ad excretiones cibi superfluitatum, quæ aut pauciores, aut plures, aut humidiores, aut duriores existant.

3 Sic humidiorum excremẽtorum vel defectus, vel superabundantia præter consuetudinem naturalem, aut in colore, aut in consistentia varietas aliqua, aut in tempore excretionis:

4. & vigiliæ plures, ac somnus, aut non consueto tempore.

5. Eodẽ modo potus pluris, aut paucioris; calidi, aut frigidi insolens appetitus:

6 Sicuti & rerum venerearũ immodicus usus, aut intempestiua concupiscentia:

7. & sudores plures, aut pauciores, quàm conueniat:

8. & ad motus torpor, aut si moueri tentauerint, grauitas, aut vehemens exolutio;

9. menstruorum occultatio, vel immodica, aut diminuta euacuatio.

10. Sic & quæ per ora venārum (Græci hæmorrhoidas appellant) fit sanguinis effusio.

11. Sed & si voluptas in cibo potuq; haud sit priori voluptati similis, futurę gritudinis est indicium :

12. hebetudoque animi non naturalis, aut obliuio quædam inconsueta, aut somni, qui pluribus imaginationibus abundant, quàm prius: auditus, & odoratus, visusue hebetiores, aut turbulentiores, & (ut simpliciter dicam) quæcunque secundùm naturam inerant, hæc quidem augmentata, hæc verò comminuta, hæc verò temporibus quibusdam, aut qualitatibus immutata.

13. Siquidem & ipsius corporis moles aut maior, aut minor.

14. aut magis alba, aut magis rubra, velut liuidior, aut nigrior:

15. ructusque, ac sternutamēta, & flatus plures, aut pauciores his, qui secundum naturam :

16. sic & quæcunque per nares, vel palatum, vel aures, per quos meatus cerebrum expurgatur, vel temporibus

vel quantitatibus vel qualitatibus immutata. Hæc igitur omnia ex genere eorum sunt, quæ secundum naturam.

5. Morsus autem ventris, vel in ore ventriculi, vel in aliquo intestinorum, aut cùm aluus subducitur, aut cùm vomitus excitatur, aut cùm mingitur, siue aliquis alius dolor mediocris, ex genere quidem existit eorum, quæ præter naturam, non tamen qui ita se habent, ægrotare dicuntur: sicuti neque qui capite grauantur, aut dolent, aut vigilant, cùm nondum in consuetis impediuntur operationibus. Hic enim in huiuscemodi dispositionibus ægrotandi terminus est. Atque idcirco in eo, quod ad aliquid, eandem dispositionem ægram atque neutram appellabimus. Nam pro vigore potentiæ, quę vel facilè sustinet, vel vincitur, unaquæque ex his, quas antea diximus, vel morbus est, vel neutra dispositio.

6. Sic & quæcunque in sensibus, non in eo, quòd magis aut minus inuicem differunt, sed toto genere sunt

præter naturam. Et hæc sunt signa morborum, donec modica fuerint, & nondum hominem à consuetis operibus sufficiunt amouere. Talia verò sunt in gustu quidem, cùm vel salsæ, vel amaræ, vel alicuius alterius qualitatis sapor nobis indicatur: siue in omnibus, quæ bibuntur, aut manducantur, aut præter quod aliquid assumatur, saliua ipsa talis sentiatur. In odoratu autem, quando alicuius unius qualitatis sensum habemus, nullo odorabili præsente: aut cum plura, & differentia naribus admouemus, omnia veluti similia sentimus. Sæpius verò nihil sentimus, aut aliquid fœtens, etiamsi nihil adsit quod fœteat. Quantum verò ad auditum, soni & strepitus ad id quod præter naturam, pertinent. Quemadmodum in visu, quæcunque ante oculos apparere creduntur, nigra, & atra, & cærulea, & rufa, & flaua: & nonnulla rotunda, nonnulla autem oblonga; quædam gracilia, quædam crassa oculis prætendi videntur. In sensu autem tactus, cùm inæqualitas aliqua, vel spissitudo, vel grauitas, vel tensio, vel torpida, vel ulcerosa dispositio in

toto

toto corporis habitu ſentiuntur : ſic & in ſingulis partibus vel tensio, vel compreſſio, vel morſus, vel grauitas, quando paruæ fuerint ac minimè firmæ. neutram quidem diſpoſitionem adeſſe demonſtrant, futuram verò ægritudinem prænunciant.

Signa corporum ægrotantium.
Cap. 83.

Nunc tandem docet, quibus ſignis ſalus aut mors ægrotantis cognoſcatur : & capitis ſunt tres particulæ. 1 Signorum in ægris nomina indicat. 2. Signa ſalutis aut mortis à virtute ac vitio operationum ſumi, quæ ſpectantur in quadruplici genere partium. 3. Signa ab excrementis ſumpta; & ſigna neutra tum per abnegationem, tum per participationem.

AT 1, quæ iam in ægrotantibus ſigna videntur, ex quibus nonnulla ſanitatem, nonnulla mortem portendunt, prima quidem ſalubria, altera verò genere quidem ægra, ſecundùm ſpeciem autem perniciosa dicuntur.

2. Sumuntur autem (ut vniuerſali-

ter dicamus) ex operationum virtute, ac vitijs. Secundum partem verò, ex particularium operationibus, quarum genera antea diximus: Primum quidem eorum, quæ principia existunt: Secundum verò illorum, quæ à principijs ortum habent: Et tertium eorum quæ propriam habent gubernationem, à principijs autem quasdam deriuationes habent. Quartum si quidem genus eorum, quæ tunc diximus, ex se quidem ad aliquid prænoscendum inutile est, secundum accidens autem & ex his aliquando præcognitiones erunt quemadmodum & ex excrementis semper; ex his quidem compatiendi ratione, ex excrementis autem quoniam coctionis & incoctionis signa continent.

3. Quare fieri non potest, quin perpetuò significent, aut naturam materiei, aut materiã naturę, aut neutrum neutri dominari. Salubria quidem signa dicentur, natura superante: insalubria verò, superata: neutra autem, quæ pugnas habent æquales. Sed quæ quidem manifestam indicant coctionem, ex salubribus sunt; sicuti quæ

cru-

cruditatem, ægra. Quæ verò, neque coctionem, neque cruditatem perſpicuè oſtendunt, ex neutrorum ſunt natura. Sunt verò & neutra quæcunque nunc quidem hoc, nunc verò contrarium ſignificant, veluti digiti denigrati. Talia ſunt etiam critica, id eſt, decretoria accidentia, de quibus omnibus in libris de Criſi dictum eſt: Sicuti etiam de his, quæ ad unamquamq; attinent operationem, in ijs libris, in quibus de cauſis accidentium agitur. Quare omniũ horũ ſingulorũ materiã ex ijſdẽ libris colligere oportet. Ego verò prolixitati parcens, huic ſermoni de Signis finem faciam; tranſgrediar autem ad illum, qui de cauſis eſt.

ARGVMENTVM ET DIVISIO TERTIAE Partis.

TOTVM hunc Tractatum diuisum esse in tres partes suprà diximus, quarum prima agit de corporibus salubribus, insalubribus, & neutris: Secunda, de signis, quibus corpora talia dignoscuntur: Restat nunc, ut in hac tertia parte agat de causis salubribus, insalubribus, & neutris. Cùm verò causarum quædam sint conseruantes, quædam efficientes, quędam restituentes sanitatem; hæc pars incipit à conseruantibus optimam sanitatem, progreditur ad sanandos morbos, & cessat in præseruandis, reducendisque neutris. Sic in hoc Tractatu tota absoluitur Medicina: in prima enim & secunda parte habetur tota theoria, ex susceptiuo & indicatiuo constans: in tertia verò traditur praxis, in opere prudentis Medici occupata.

Quæ-

Quadrifariam diuiditur hæc tertia pars:

Prima pars usque ad secundam particulam capitis 88. extenditur, & agit de causis conseruantibus.

2. Ostendit remedia, quibus omnes morbi curantur, & desinit ad 99. caput.

4. & ultima tradit, quomodo sint reficienda corpora neutra conualescentium & senum. De his vide Gal. in lib. ad Thrasybul. c. 30.

De causis salubribus, insalubribus, & neutris. Cap. 84.

Hoc caput, facta causarum diuisione, à causis conseruantibus sanitatem incipit, eiusque rei rationem reddit; deinde occurrit tacitæ obiectioni, cur saluberrimo corpori conseruationem ascribat.

QVoniam verò & harum hæ quidem salubres, hæ autem insalubres, hæ verò neutræ, primùm de causis salubribus erit sermo. Quia verò & harum nonnullæ quidem con-

ser-

seruatrices, nonnullæ verò effectrices sanitatis (sunt autem & tempore, & dignitate priores conseruatrices effectricibus) incipiendum est à conseruatricibus. Cùm igitur non unum tantum sit sanum corpus, sed plura, ut suprà definiuimus, in eorum singulis propria erit causa conseruatrix. Siquidem omnis causa in eo, quod ad aliquid, existit. Hic igitur denuò sumendum initium ab optima corporis constitutione, ac quæ ei salubria sint, considerandum. Eorum autem inuentionem ipsius rei natura insinuat. Si enim impatibile, atque inalterabile esset corpus, semper optima constitutio perduraret, neque artis præsidio indigeret. Quoniam verò alteratur, corrumpitur & vertitur, neque eundem seruat prioris status tenorem, ea ratione auxilium desiderat.

Causæ nostrum corpus alterantes. Cap. 85.

In præsenti capite sex materias rimatur, in quarum electione ars conseruatrix versatur, ijsque methodum generalem ap-

applicat, & aptam qualitatem inquirit. Sunt verò capitis octodecim particulæ. 1. Colligit causas conseruatrices. 2. Quæ ad Medicum pertineant docet, nempe quæ necessariò alterant. 3. Sex res necessariò alterantes enumerat. 4. Quomodo corpus ab aere alteretur. 5. De cæteris rebus non naturalibus agit, vt de motu & quiete, Gal. 2. de san. tuend. c. 2. somno & vigilia, Hippocrat. 2. Aphor. 3. animi affectibus, Gal. proprio lib. cibo & potu, Galen. 3. de temp. c. 2. excretis & retentis, 9. de vs. part. c. 1. 6. Qua ratione res non naturales dicantur salubres aut insalubres, & in quo consistat eorum vsus commodus & incommodus, nimirum in qualitate & quantitate. 7. Cum qualitate & quantitate etiam cõcurrere tempus opportunum ostendit. 8. Applicat dicta ad optimam constitutionem. 9. Quomodo conseruandum corpus saluberrimum in aere tum temperato, tum intemperato. 10. Quis aer sit temperatus. 11. Quæ exercitia sint moderata, Hippoc. 2. Aphor. 48. 12. Cibum & potum salubrem quatuor signis cognosci. 13. de somno conueniente, Gal. 2. de sanit. tuen. c. 5. 14. Vnde sequantur proba excrementa. 15. Cauendum

dum esse ab immodicis animi affectibus. 16. *Quomodo usus Veneris salubris.* 17. *Quo tempore & corporis constitutione indulgendum Veneri. Gal.* 6. *de loc aff. c.* 5. 18. *Res non naturales esse eligendas in optima corporis constitutione, exemplis ostendit.*

SEcundum 1. quot igitur alteratur modis, tot auxiliorum, hoc est, causarum conseruatricum genera habebit, quas ex his, quę dicta sunt, liquet esse ex correctiuarum genere. Sed quia paulatim correctiones faciunt antè quàm confertim ingruat noxa, non præseruantes à futuro malo, sed præsentis status conseruatrices Medici appellant.

2. Alteratur igitur corpus à nonnullis quidem necessariò, à quibusdam verò non necessariò. Dico autem necessario, quæ nulla est euitandi ratio. non necessariò autem, reliqua. Nam aerem quidem nos ambientem semper attingere, comedereque ac bibere, & vigilare, & dormire est necessarium: ensibus autem, & exitialibus feris obuiare non necessarium. Quare circa

primum

primum causarum genus versatur ars corporis conseruatrix, circa secundum autem minimè.

3. Quot igitur numero sint ea, quæ ex necessitate corpus alterant, distinguentes, proprium in singulis eorum causarum salubrium genus inueniemus. Inest igitur unum quidem ex ambientis aëris adhæsu: Alterum verò ex motu & quiete & totius corporis, & partium singularum: Tertium ex somno, & vigilia: Quartum ex his, quæ assumuntur: Quintum ex his, quæ excernuntur, vel retinentur: Sextum ex animæ affectibus. Ab his enim necesse est aliquo modo affici corpus.

4. Ab aëre quidem ambiente, quia aut calefit, aut frigefit, aut exiccatur, aut humectatur, vel secundum horum coniugationem aliquid patitur, aut in tota alteratur substantia.

5. ex motu verò & quiete, cùm utraque modum excesserint, aut calefactum aut refrigeratum, aut humectatum, aut exiccatum, vel aliquid secundum horum patiens coniugationem: sic & ex somno & vigilia ipsum pati

est

est necessariũ, secũdùm eandem rationem: & ex animæ affectibus, & ex his, quæ assumuntur, aut excernuntur, aut retinentur. Hæc siquidem omnia, alia quidem protinus & euidenter, alia verò per alias causas medias alterant corpus, & sanitatem corrumpunt. Et de horum singulis seorsum scripsimus in tractatu, qui De salubribus inscribitur.

6. Omnia igitur nunc dicta genera materiæ quædam sunt salubrium causarum; at usu opportuno adhibito, causæ fiunt conseruatrices atque salubres: sed ubi à modo deliquerint, insalubres redduntur. Vnde etiam liquet ex his, non alias præter has, aut salubres, aut insalubres à nobis existimari oportere, at easdem potius; quandoque quidem salubres, quandoque verò insalubres, in eo, quod ad aliquid esse; Nam ubi motum corpus desiderat, exercitatio quidem salubris, ocium autem insalubre: cùm verò eget quiete, ocium quidem salubre, exercitatio autem insalubris; eodem modo de cibis, & potibus, & de alijs omnibus statuen-

dum

dum. Horum enim singula, quando, ut necessitas corporis exigit, cùm mẽsura ac qualitate opportuna adhibentur, salubria fiunt; at cùm citra omnem necessitatem, aut prẽter modum afferuntur, insalubria. Atque hæ duæ sunt circa salubre, & insalubre intentiones, rei scilicet, quæ adhibetur, qualitas, ac quantitas.

7. Neque enim est rationi consentaneum, etiam temporis occasionem, quæ in his, quæ dicta sunt, continetur, veluti tertium aliquod ab eisdem diuersum introducere. Si enim tali, & tanta re oblata egeat corpus, nemini dubium, quin etiam in tempore opportuno afferatur. Occasio siquidem temporis inde ortum habet, quoniam fluxibile, ac facile mutabile est corpus, ac pro transmutationis modo, alijs alio tempore eget auxilijs. Quare non est tertium aliquod præter ea, quæ dicta sunt, temporis occasio. Sæpius autem occasione tanquam tertio quodam ob eam, quam diximus, causam, ad docendum uti consueuimus.

8. Quoniam verò in his ipsis intentionibus & aliæ causæ salubres, & id

quod

quod propositum est genus continetur, rursus easdem repetamus.

9. Optimæ igitur corporis constitutioni, cùm circumfusus aër fuerit in temperie positus, earum rerum, de quibus nuper diximus, quietis scilicet, ac motus, somni, vigiliæ, & eorum, quæ assumuntur, atque excernuntur, exquisita mediocritas conueniet. Cùm verò aër à temperie recesserit, tantum à mediocritate euariare oportet, quantus fuerit ab optima temperatura recessus

10 Hi verò sunt mediocritatis scopi: in aëre quidem ambiente, vt neque horreat corpus propter frigus, neque sudet propter æstum.

11. in exercitijs autem, cùm primum lassari cœperit corpus, confestim quiescere:

12. in cibis autem coctionis perfectio, & excrementorum modus in quali quantoque conueniens. Aequalis verò in his quodammodo est coctioni appetitus: quare neque præside egent, qui singulorum, quæ assumunnur, quantitatem metiatur. Optima siquidem natura quantum appetit, tantum

ctiam

etiam probè concoquit,

13 Sic & somno modum ipsa natura præfinit, his, qui optimam corporis constitutionem sunt sortiti. Et tunc à somno excitantur, cùm corpus ampliore quiete non eget.

14. Cùmque talem victus rationem adhibuerint, nullum est in eorum excrementis delictum, quæ vel per ventrem, vel per vrinæ meatus, vel per totum corpus egeruntur. Nam priora quidem ex mediocritate eorum, quæ assumuntur, temperantur. Totum verò corpus salubriter perflari facit exercitij vsus moderatus.

15. Liquet autem ab ipsis caueri oportere omnes animi immodicos affectus, videlicet iræ, tristitiæ, excandescentiæ, timoris, inuidiæ. Hæc enim alterant, atque à naturali statu corpus auertunt.

26. Venereorum verò, iuxta Epicuri sententiam, nullus est vsus salubris: re vera autem confert, si tantum interualli in eorum vsu adhibeatur, vt neque resolutio aliqua sentiatur, & ipse se ipso homo quodammodo leuior factus, ac melius spirare videatur.

17. Tem-

17. Tempus verò ad vtendum opportunum, cùm omnium in rerum circumstantium exquisita mediocritate corpus fuerit constitutum, cùm scilicet neque supra modum plenum, neq; vacuũ extiterit: neq; in calore, aut frigore, aut siccitate, aut humiditate excesserit corp⁹. Quod si quãdo aberrare cõtigerit, paruus sit error. Melius autẽ illi calefacto magis quàm infrigidato, & pleno quàm vacuo, & humecto potiùs corpore, quàm exiccato vti venereis.

19. Horum autem singulorum, quæ dicta sunt, qualitas in optima corporis constitutione est eligenda. Exercitij quidem, in quo totius corporis partes æqua proportione mouentur, ita vt non alię quidem vltra modum fatigentur, aliæ verò citra. Cibi autem & potus optimam habeant temperiem: sunt enim maximè conuenientes naturis optima temperatura prædi tis. Eadem in reliquis etiam est ratio adhibenda.

Vsus causarum conseruantium in corpore, quod recedit ab optima constitutione per temperamentum.

Cap. 86.

Transit ad conseruationem lapsæ sanitatis, & primò per intemperiem: capitis particulæ sunt sex. 1. agit de conseruantibus corpora sana, quę tamen parumper recedant ab optima constitutione: quę conseruantur per similia, vel reducuntur per contraria. 2. Vnde dependeat ista conseruatio, nempe à cognitione virtutum causarum salubrium. 3. Quomodo reducantur talia corpora sana ad meliorem statum per contraria. 4. Ratio dictorum & quomodo lapsa sanitas modò conseruanda, modò reducẽnda sit. Gal. 5. de san tuend. c. 10. & 11. 5. Dubitatio soluitur, cur causa salubris reducens in meliorem statum dicatur conseruatiua, & non potius curatiua? 6. Quomodo conseruari debeant corpora lapsa in intemperamento.

ACT 1. si quod ab optima constitutione defecerit corpus, non autem vehementer, & causæ, quæ ipsius sanitatem conseruant, ad proportionem mutabuntur. Sed cùm multa sint huiuscemodi corpora, per singula genera seorsum dicendum. Quod igitur in temperatura similarium partium euariat, instrumentariarum autem seruat commensurationem, duplicem habet salubrium causarum formam: alteram quidem earum, quę ipsius conseruant temperaturam; alteram verò earum, quæ ad optimam transferunt. Quæ itaque ipsius temperaturam conseruant, tantum à causis optimæ temperatæ naturæ distabunt, quantum & totius corporis temperatura ab illa euariat. Calidiora siquidem corpora calidioris victus rationem exposcunt, frigidiora autem frigidioris, & sicciora siccioris, & humidiora humidioris; ac secundum coniugationem calidiora ac sicciora, calidioris ac siccioris, eadem in reliquis etiam coniugationibus proportione seruata.

2. Rectè siquidem causarum vtetur

tur materia, qui naturales earum po-
tentias agnouerit. Veluti quòd motus,
defectus alimenti, vigiliæ, excretio, &
omnes animi affectus corpus exiccant:
atque hæ his contraria existunt, humec-
tant. Ita verò & de calefacientibus, &
refrigerantibus vitæ institutis, de cibis,
& potibus, atque (vt simpliciter dicam)
de ijs omnibus, quæ circa corpus sunt,
qui materias noscit, & potentias, is sa-
lubribus vtetur causis, similia similibus
offerendo, siquidem eius propositum
fuerit eandem, quam acceperit, corpo-
ris seruare temperaturam.

3. Quòd si permutare, atque ad me-
lius traducere statuerit, alterum est hic
salubrium causarum genus, his quidem
quas nuper diximus, contrarium, æqua-
liter verò declinans ad alteram partem
à benè temperatis, & medijs, quæ opti-
mis conuenire naturis dicebamus. Cali-
dior siquidem ac siccior temperatura,
à calidioris ac siccioris victus ratione
ad exactum bonæ temperaturæ habi-
tum minimè transfertur. At talium
erit vsus necessarius, quæ tantum eis,
quæ benè temperata existunt, frigi-
diora sint atque humidiora, quantum

& natura naturam in caliditate, & ſiccitate ſuperabat.

4. Nam tale cauſarum genus naturales corrigit intemperantias : alterum verò, de quo ſupra diximus, temperaturam conſeruat. Eſt autem vtriuſque viciſſim apud medicos vſus neceſſarius Nam cùm plurimum ſupperit ocij, corrigere oportet ac ſenſim ad meliora transferre Neque enim natura patitur eas, quæ ſubitò fiunt alterationes. Hominem autem neceſſarijs occupationibus diſtrictum, in eodem præſtat habitu conſeruare.

5. Quo pacto igitur & hanc ipſam cauſarum ſpeciem conſeruatiuam appellamus ? Nam fortè magis alteratiuam, & curatiuam, & naturalium defectuum correctiuam vocare conueniebat. Quoniam ad vniuerſum ſanitatis genus referentes, non ad eas, quæ ſecundum ſpeciem, differentias, quæcunque ſanos cònſeruant, conſeruatiua omnia vocamus, ſiue præter id, quod ſanitatem conſeruant, ad melius toram traducant temperaturam, ſiue priſtinum tantummodo habitum tucantur : at quæ deteriorem ſtatum effi-

efficiunt, insalubria.

6. Quæcunque igitur similem habent in omnibus corporis partibus intemperiem, simili egent procuratione: quæ verò dissimilem, dissimili. Nam fieri potest, vt ventriculus frigidior sit; quàm oporteat, caput verò calidius, atque vtrumque proprijs egeat auxilijs. Ac ratione eadem, singulæ aliæ partes, cùm fuerint aut præter modum humidiores aut sicciores, aut calidiores, aut frigidiores, suæ intemperiei victum exigunt accommodatum. Neque igitur in huiusmodi hominibus ex æquo omnes corporis partes exercebimus, neque æqualiter humectabimus, aut exiccabimus, aut tale aliud quippiam agemus. Plenius verò de his diximus volumine illo, quod De salubribus inscribitur.

Vsus causarum in corpore, quod recedit ab optima constitutione vitio partium instrumentalium. Cap. 87.

Agit de conseruantibus corpora lapsa in compositione particulæ capitis sunt sex

1. quomodo causæ salubres à corporibus salubribus distent, & quotuplices sint. 2. enumerat errorum species, qui contingunt in formatione, magnitudine, numero, situ: earumque gradus assignat. 3. Modi quibus errores figuræ & cauitatis auferuntur, qui aliquando emendari possunt, aliquando non. 4. Remedia, quibus tolluntur vitia in magnitudine, numero & situ. 5. De vitijs compositis conformationis exemplum adducit, eiusque curam subiungit. 6. Aliud exemplum de hepate obstructo.

INstrumentariarum 1. autem partium causæ salubres, quemadmodum & hic ab optima constitutione delinquitur, ita & inuicem distabunt. Aliæ enim sunt salubres erroribus, qui in formatione cosistunt: aliæ his, qui in magnitudine, vel numero, vel positu.

2. In formatione igitur plures contingunt errores; nam & figura partis, & si qua in ea cauitas est secundum naturam, vel meatus, vel orificium, vel asperitas, vel lenitas, quando à naturali mediocritate recesserit, siquidem parum

hoc

hoc patiantur, salubrium corporum retinent appellationem; si verò amplius, insalubrium: quod si tantus fuerit recessus, vt operationi afferat detrimentum, iam ægrotare dicentur. Secundum quantitatem autem excessus, atq; defectus, ad easdem ducit differentias. In numero, siue vna, siue plures, quæcunque ex similaribus partibus fuerint, aut deficiant, aut superabundent. Ex hoc genere etiam sunt, quæcunque in nobis substantiæ præter naturam consistunt. Reliquum est aliud genus, quod ad situm cuiuslibet simplicis attinet partis, in quo & ipso quatuor sunt omnes differentiæ. Prima quidem, quæ optima existit. Secunda verò quæ parum euariat, atque ideò salubre adhuc efficit corpus. Et tertia, quæ insalubre, quando amplius à modo recesserit. Et quarta, quæ iam ægrum recessu plurimo reddit.

3 Quæcunque igitur partes in figura delinquunt, veluti quæ blæsę, varæ, & obliquæ appellantur, hæ cùm, nuper natus adhuc tenellus est, formatione atque alligatione ad naturalem traducuntur habitum. Quod si iam au-

&o infante ad duritiem peruenerint, emendari non possunt. Sic errores quidem, qui ad cauitatem attinent, cum adhuc augeri perseuerent, correctionem admittunt: Cùm autem iam ad vltimum peruenerint, nullus est remedio locus. Cauitates igitur quiete atque alligatione paruæ redduntur; magnæ verò partium operatione, & spiritus retentione; sic & quæcunque foramina, oraquè.

4. „Et quidem quæ naturalem magnitudinem partes exuperant, quiete ac commoda alligatione minores redduntur; augentur autem & naturali motu, & frictione moderata, & quibuscunque alijs plus sanguinis attrahere natura aptis. Deficientes verò partes, quæcunque ex sanguine ortum habuerunt, corrigi quidem non est impossibile; quæ autem ex semine, propemodum impossibile existit: licet tamen aliquando loco eorum alia facere, quę vsum haud dissimilem præstent. Eorum verò omnium natura opifex est, Medicus autem minister. Quæ verò numero excedunt, his ablatio causa salubris existit. Inspicere verò

oto-

oportet, in quibus id fieri possit. Nam si impossibile appareat, transponere tentandum est. Eadem est & eorum, quæ in situ vitia sunt, emendatio.

5 Neque in obscuro est, quòd duo sæpius aut tria vitia eandem partem possunt occupare, sicuti in eo, qui ventriculum paruum simul, atque rotundùm, atque aduersus septum habuit incumbentem. In ipso etenim magnitudo, formatio, ac situs erāt deprauata; temperatura quoque frigidior existebat. Hic nullo artificio ad naturalem habitum transferri poterat: at ne adeo infestaretur, erat remedio locus. Nam quoniam repleto ventriculo difficultate spirandi premebatur, minus cibi, at magis alimento opportuni, & qui non difficulter subduceretur, ter die assumebat.

6. Alteri verò, cui obstructio in hepate ob vasorum angustiam sæpius cōtingebat, extenuans victus ratio causa salubris inuenta est.

Vsus causarum in corpore, quod cecidit ab optima constitutione in vnitate continui.

Cap. 88.

Agit primum de solutione continui, quæ sanis cõtingit; deinde transit ad causas efficientes sanitatem in ægris; capitis quatuor sunt particulæ. 1. Causa conservatrix vltima, nimirũ solutionis cõtinui, quę, quia rara & vix sensibilis, de ea perfunctoriè tantùm agit. 2. Incipit tractationem de causis efficientibus sanitatem, & præmittit diuisionem intemperamentorum, in facta, fientia & futura. 3. Ad quam Medicinæ partem harum quælibet reuocetur. 4. Facta curari ablatione morbi, futura præcaueri ablatione causæ antecedentis; fientia omisit, his tamen debetur prouidentia.

REliquum 1. igitur adhuc id morbi genus est, quod & similaribus & instrumentarijs partibus commune existit, solutio scilicet continuitatis, quam quispiam fortè in his vnquam adesse negaret, qui integra sanitate

tate fruuntur, quoniam semper esset passio. Quem sanè latet eandem in omnibus generibus fore dubitationem. Nisi enim operationis læsio sensibilis sanitatem ab ægritudine separet, sed qualitatem tantummodo dispositionis introspiciamus, ἀεὶπαθείας, id est, perpetuæ passibilitatis dogma necessariò recipiemus, cùm nullus sit qui omnes operationes habeat. Sed de hoc quidem vt quod logica potius contemplatio sit, seorsum consideretur.

Salubrium causarum vsus in ijs qui morbo tenentur.

2. Salubres vero causas, vt in his, quos nemo dubitat ægrotare, deinceps percurramus, à mala temperatura exordium facientes. Hic verò priùs distinguamus, quæ omnes ferè Medici prætermittunt; alias quidem esse salubres causas eius intemperantiæ, quæ iam facta est: alias autem illius, quæ adhuc fit: sicuti etiam alias eius, quæ futura est.

3. Huius itaque postremæ, hæ quidem in præseruatiua artis parte conti-

nentur : hæ verò in ſalubris primæ autem inter omnes in curatiua tantummodo : ſed eius, quam mediam inter vtramque locauimus, in præſeruatiua & curatiua : Iam enim factam, atque exiſtentem ægritudinem curare oportet: Sed quæ nondum quidem adeſt, at futura eſt, prohibendum eſt, ne fiat ab ea, quæ eſt in corpore, diſpoſitione. Eius autem, quæ adhuc fit, quod quidem factum eſt, curare opus eſt, quod autem futurum, prohibere ne fiat.

4. Prohibebitur autem ſublata ea diſpoſitione, quam ſequi natura apta eſt. Talis verò diſpoſitio cauſa antecedens appellatur. Facta autem ægritudo curabitur ſoluta ea diſpoſitione, à qua primùm ea, quæ ſecundùm naturam, læditur operatio : quam quidem & ipſam morbi eſſentiam dicimus eſſe.

De communiſſima intentione curatiua. Cap. 89.

Orditur curationem intemperiei factę, & communem omnibus tradit intentionem, nempe contraria contrarijs curari, Gal. de conſtit. art. c. 12. & 3. meth. c. 3. par-

particulæ capitis sunt undecim. 1. Docet applicanda esse contraria, eiusq; rationem subiungit. 2. Qualia debeant esse illa contraria, nempe potentia talia, non secundum apparentiam. 3. quomodo hæc contraria locum habeant in intemperie tam facta, quam fiente. 4. pro exemplo morbi fientis adducit curam febris putridæ, quæ fit alteratione & euacuatione. Gal. 11. Meth. c. 13. 5. per alterationem intelligit coctionem. 6. De euacuantibus variis ait, quæ debita ratione adhibita salubria fiunt. 7. In morbis factis à causa, prius tollendam esse causam, deinde morbum. 8. Quomodo curanda sit intemperies composita ostendit, & exemplo declarat. Galen. 3. de simp. med. c. 12. & 9. Meth. c. 15. 9. Quomodo secundum partes superficiales, & penitiores applicanda sint remedia, cuiusuis qualitatis. 10. Indicatio remediorum desumpta à formatione & situ simul. 11. Morbi causas curari euacuatione, ipsos morbos alteratione.

CVratio 1. verò vnam præcipuam ac communissimam habet intentionem ad id, quod est dispositioni au-

ferendæ contrariũ. Ex hoc siquidem genere sunt causæ illæ omnes, quæ sanitatem efficiunt. Secundum partem verò ex vnicuique dispositioni contrarijs. Calido igitur affectui causa frigida contraria existit, frigido autem calida, eademque in cæteris proportione. Etenim si omne immoderatum est præter naturam, moderatum verò secundum naturam, necesse est omnino, vt immoderatum ab immoderato contrario ad mediocritatem rediga-tur.

2. At manifestum est, quod secundum potentiam, non autem imaginationem, & calefaciens, & refrigerans, & quæcunque alia huiusce-modi oportet assumere. Voco autem secundum potentiam, quod re ipsa verè tale existit, quale esse dicitur: secundum imaginationem autem, quod ex prompto quidem sensu tale esse imaginamur, cùm tamen verè tale non sit. Sed qua sint hæc ratione distinguenda, diximus in his libris, in quibus de simplicium medicaminum potestatibus agitur.

3. Ad inuentionem autem salubriũ cau-

causarum, quæcunque quidem vt ad eam quæ iam facta est, ægritudinem causæ salubres existunt, via illa doctrinæ, hoc est, methodo vtendum, qua id, quod secundum imaginationem est, ab eo, quod est secundum potentiam separatur. Quæcunque verò vt ad eam, quæ adhuc fit, & hac eadem via, atque illa præterea, ex qua ægritudinum causæ inueniuntur.

4. Esto enim si ita contigerit, ex humoribus putrescentibus accendi febrem. Indicatio in huiusmodi est euacuatio, atque alteratio: hęc quidem, quæ putredinem finiat, manente adhuc causa; euacuatio verò, quæ totam ex corpore substantiam educat.

5. Sed dicta quidem alterationis species, concoctio existit: quam vbi inuenerimus, à quibusnam causis fieri contingat, tunc vtique eorum, quæ hoc pacto salubria sunt, scientiam tenebimus.

6. Euacuationes autem fiunt & per sanguinis missionem, & clysteris vsum, & per vrinæ vias, atque eam, quæ per cu-

cutem fit, transpirationem, ac præterea per eam, quæ fit ad partes oppositas, attractionem, atque ad alias propinquas deriuationem. Nam & ad hoc idem genus pertinet excitare mẽstrua, atque ora venarum, quæ Græci hæmorrhoidas appellant, aperire, ac per palatum, narescque expurgare. Cùm igitur & hic materias inuenerimus, quibus in qualitate, & quantitate, & tempore opportuno, & modo vsus adhibitis euacuatio fit, in ipsa artis parte salubria inuenientur: atque eorum omnium inuentio traditur in eo volumine, quod De arte, seu methodo curatiua inscribitur.

7. Eadem ratione in alijs tribus intemperaturis, si vnum commune præceptum obseruabimus, vt vnamquamque prius, quæ efficit, causam rescindamus, deinde ita ad illam, quæ ab eadem causa facta est, ægritudinem accedamus, causarum salubrium inuentionem faciemus.

8. Secundum verò compositas intẽperaturas, ex simplicibus compositio commonstrabit salubria præcepta, cùm hic quoque habeamus pro magnitudi-

ne

ne intemperaturæ eidem conueniens inuenire remedium : veluti si ita contigerit, quòd in decem quidem numeris ad caliditatem maiorem , quàm naturæ conueniat, decidat corpus, septem verò ad siccitatem maiorem , tunc salubrem causam in huiuscemodi affectibus esse oportebit, decem quidem numeris frigidiorem , septem verò humidiorem.

9. Si igitur ipsi particulæ affectæ admoueatur tale remedium , tanto sit frigidius atque humidius , quantum exigit partis affectæ indicatio. Quod si particula affecta in penitioribus locis sita sit, machinari oportet insuper tale inuenire salubre remedium , cuius vis nequaquam in itinere antea soluatur. Si itaque calidius esse oportuerit eo, quod est moderatum, non solum tantam habeat caliditatem , quantum exigit morbus , sed vltra eandem mensuram tantum adijciatur, quantum ex situ , vt pertingere possit ad locum patientem , sit necessarium. si verò frigidius , non simpliciter tantum frigiditatem oportet augere , sed & materia quoque priùs est animaduertenda. Si

enim

enim craſſarum ſit partium, non admodum poterit ad profunda penetrare; ac potius contrarium præſtabit effectum, ſpiſſando ſuperficiem, atque denſando: at ſi tenuioribus partibus conſtet, poterit ſane plurimum ſubire profundum. Idem in humectantibus, atque exiccantibus accidit, in quibus craſſitudo, atque ſubtilitas partium ſubſtantiæ eſt inſpicienda. At ſitu quidem loci affecti, vt nuper diximus, inuenit indicatio ſalubre remedium.

10. A formatione autẽ & ſitu ſimul, quando effluxus ſenſibiles, atque ad alium locum foraminibus patentes habuerint, aut his omnino caruerint. Quos enim effluxus ad principales deferri parset cognouerimus, auertemus, atque ad illas impellemus, quæ minimè ſunt principales.

11. Illud verò manifeſtum, quòd earum, quæ intemperaturam efficiunt, euaſarũ curatio fit per euacuationem. Nam ipſæ intemperaturæ ſola alteratione ſanantur.

Curatio solutionis continuitatis in parte carnosa. Cap. 90.

Incipit agere de cura solutionis continui & primum in parte carnosa: quinque autem sunt capitis particulæ. 1. Omnem solutionem continui indicare vnionem, quę, vbi fieri possit, vbi non, innuit. 2. Duo requisita in vulnere simplici, adductio labiorū, & adductorum stabilitas. 3. Quale opus sit natura in conglutinatione, & de quatuor Medici operibus. 3. De cautione, ne quid labijs intercidat, & de partis conseruatione. 5. Concludit, se de vulnere simplici in parte carnosa egisse; de compositis vide Gal. 3. Meth. c. 9. & lib. 7. c. 12.

CONtinuitatis 1. autem solutæ curatio, intentionem quidem habet vnionem, quæ in partibus quidem instrumentarijs impossibilis est: in similaribus verò non semper possibilis. At in aliquibus, sicuti in carnosis, sanitas conglutinatione perficitur: nihil verò differt, neque si coalitum appellaueris.

2. Ipsam

2. Ipſam verò antecedit, quando vulnus maius extiterit, partium applicatio diſtantium, quæ ex formationis genere exigit. Vt autem hæc ipſa firma ac ſtabilis fiat, & alligatio cogens in vnum quæ diſtant, & fibulæ & ſuturæ vtiles ſunt.

3. Coaleſcere autem facit ea, quæ inuicem diſtant: ac priſtinam reſtituit vnitatem ipſa natura. Noſtrum verò opus eſt vt diximus, primum quidem applicare extrema diſtãtium partium; ſecundum autem ita, vt in vnum coacta ſunt, cõſeruare; & tertiũ cauere, ne quid labris vlceris intercidat; & quartum ipſam partis ſubſtantiam conſeruare ſalubrem.

4. Sed quo pacto & primum, & ſecundum impleamus officium, dictum eſt. Tertium verò in cogendo in vnum partes diſtantes exequemur, ſi nihil extrinſecus intercidere permittamus: quoniam ſæpius vſu euenit, vt pilus aut oleum, aut aliqua alia humiditas interueniens, earum quæ copulande ſunt, partium vnitatem impediat. In eo autem, quod ſequitur tempore, per ſuffluxiones tertia intentio

tio retinetur. Ipsam verò suffluxiones ex eiusdem, & contrarij loci diuisione, & figura opportuna comparare oportet. Partis autem substantiam salubrem, per ea, quæ mediocriter exiccant conseruabimus.

5. Hæc quidem est solutę continuitatis curatio, cùm ipsa sola seorsum in carnosa parte constiterit. Quod si cui alteri morbo coniungatur, plures sunt indicationum intentiones, quas in compositorum, vel complicatorum, siue vt cuique appellare libuerit, doctrina trademus. In præsenti autem sermone ad reliquas vnitatis solutiones accedendum.

Curatio solutæ continuitatis in osse. Cap. 91.

De solutione continui in osse, quæ fratura dicitur, agit, & tres particulas habet. 1. *Fracturam posse sanari per callum & quomodo callus generetur docet.* 2. *In fractura plerumque esse duplicem indicationem, vnam à parte ossis fracti, alteram à partibus circumiacentibus læsis.* 3. *tradit victus rationem pro calli generatione*

ob-

obseruandam. Galen. 6. Meth. c. 5.

FRactio 1. igitur est continuitatis in osse solutio, quę quantum ad intentionem primam insanabilis existit. Quò verò ad secundam, aliquo modo sanabilis fit. Prima igitur intentio est, coalitus partium, quiob ossis duritiem fieri non potest. Secunda alligatio, quæ fit callo supernato partes fractas circumalligante. Calli autem generatio, quà quidem ex materia, & à natura fit, est & ad alia communis: quà verò formam ossi vicinam habet, ex eiusdem fit alimento. Molle verò, & puerile os coalescere potest.

2. Sed perraro fit talis affectus, quin cum altero societur. Magna enim ex parte musculi adiacentes vnà cum corporibus alijs, fractis ossibus, patiuntur. Quare & curationis intentio oritur duplex, quarum altera quidem circa ossa, altera verò circa corpora adiacentia versatur. Sed hæc quidem in carnosarum partium complicatis dicetur affectibus. Nunc verò de fractionibus dicendum.

3. Quoniam enim harum sanitas

cal-

callositate procuratur; vt autem callus generetur, proprij ossis alimenti superfluitatem naturæ suggerere oportet, hanc verò superfluitatem in qualitate & quantitate seruare modum est necessarium; idcirco & ratio victus est adhibenda, quæ tantum ac talem influere ossibus sanguinem præparet, qualis & quantus generando callo sit opportunus. Quoniã verò per fracti ossis cauernas idem effunditur sanguis, eiusdem qualitatem, & multitudinem animaduertere oportet, atque ita vel siccriorem, vel humidiorem victum instituere. Sed hæc omnia in libris, in quibus de curandi ratione tractatur, plenius sunt explicata.

Curatio punctura nerui & chordæ.
Cap. 92.

De cura nerui puncti agit, deinde ad composita vulnera transit; & caput quatuor habet particulas. 1. Causæ cur neruorum & tẽdinum punctura sit periculosa, eiusque curatio. 2. Incipit agere de vlceribus complicatis, & primum de vlcere cum cauitate, quod duo indicat, & vnionem.

nem, & carnis generationem. 3: Ordo ſeruandus in curatione vlceris caui, vt ſcilicet prius caro generetur, deinde illa tegatur, quod fit exiccando, & indurando ſuperficiem carnis regenitæ. Gal. 3. Meth. c. 3. 4. in reliquis compoſitionibus idem obſeruandum docet, vt nimirum prius affectus coniuncti curentur, vt ſunt ſordes, inflammatio, tumores, intemperies; tandem ad vnionem accedendum. Gal. 3. Meth. c. 9. & 7. Meth. c. 12.

NErui 1. verò & tendonis punctura propter ſenſus excellentiam, & quoniam hæc pars principio continuatur, prompta eſt ad neruorum conuulſionem excitandam, actum præſertim, cùm nihil extrorſum expirat, obcæcato cutis vulnere. Aperiendum eſt igitur, atque exiccandum ſubſtantia tenui, quæ vſque ad ima nerui offenſi poſſit penetrare. De his verò exactè diximus in libris De arte medendi conſcriptis. In ſimplicibus quidem huius generis affectibus ſalubrium cauſarum forma talis exiſtit.

Cu-

Curatio compositorum vlcerum.

2. In compositis verò complicatur vlceribus. Primò quidem cauitas, quam non alterum affectum, sed vlceris differentiam esse arbitrantur. Est autem non differentia huiuscemodi res; sed alterum aliquod à totius ægritudine, ęgritudinis genus, in quo ipsius substantiæ iactura facta est. Et quidem curatio in duplici morbo duplicem exigit intentionem. Nam continuitatis solutio, vnitate: substantiæ autem iactura, generatione indiget. Paulò verò suprà generationis intentiones expositæ sunt.

3. Quòd autem primùm quidem hunc affectum oporteat sanare, demùm vnitatem restituere tentare, ipsa rerum natura demonstrat. Cùm itaque repletum quidem fuerit cauum, vlcus verò ad æqualitatem perductum, alteram intentionem aboleri contigit: nam media existente inter labia vlceris ea carne, quæ nuper est genita, partes quidem distantes vniri est impossibile; vnde fit, vt alia sit intentio perquiren-

da.

da. Inuentionem autem consequemur ex eo, quod est secundum naturam, ipsi parti comparando : erat autem eidem secundum naturam cute obduci. Quare hoc ipsum à nobis procurandum : aut si hæc intentio effectum sortiri non potest, simile aliquid cuti carnem scilicet, quæ cutis naturæ vicina sit, instaurare oportet. Est autem hniuscemodi, quæ & sicca, & calli similitudinem præ se fert. Ad cicatricem igitur obducendam necessaria erunt exiccantia, ac sine mordacitate adstringentia medicamina.

4. Ita & si sordities aliqua fuerit adnata, intentio quidem erit abstergendi : & erit medicamen salubre abstersiuum ; eorundem verò materiam in libris, in quibus de medicaminibus agitur, scripsimus. Et quidem si aliqua inflammatio, vel attritio, aut tumor prædurus, id est, scirrhus, vel mollis, & laxus, id est, œdema cum vlcere fuerint, prius eorum curationi intendere oportet, eas sequendo vias ac rationes, quas priùs exposuimus. Sic & si aliquid vlceri illabitur, ad illabentium curationem intendendum. Eodem pa-

ritet

riter modo, si aliqua intemperies vlceratum locum obsederit, ad eiusdem intemperiei remedia anteà veniendum. Sed de his quidem satis.

Curatio morborum secundum formationem. Cap. 93.

Quia figuræ vitiatæ variæ sunt speciei, ab euidentissima incipit, quæ in pueris reductione ad situm oppositum emendari potest, non autem in adultis: docet deinde, quomodo figura, medici incuria malè conformata, restituenda est.

NVnc verò transeundum est ad formationis genus, quod in plures secatur differentias. At ab eo, quod euidentissimum existit, exordium est sermonis faciendum, quod ex figuræ permutatione contingit. In his igitur qui adhuc crescunt, possibile est plurimarum partium figuram emendare: in his autem, qui iam aucti sunt, minimè. Intentio verò in ijs, qui curationem admittunt, ad cõtrarium euersionis adducere. Si verò fractione aliqua non rectè conformata alicuius membri figura fuerit vitiata, cui substantia calloſa innasci præuenerit, siquidem hæc adhuc recens extiterit, perfringere o-

porter, ac rursus rectè afformare, deinde callum superinducere.

Curatio obstructionis. Cap. 94.

De curatione mala conformationis in cauitate, & primò de obstructione agit, cuius triplex enumerat genus; curam singularum subiungit: capitis decem sunt particulę. 1. *cura communis omnibus obstructionibus, apertio, deinde specificas indicat curatioaes.* 2. *Secunda species obstructionis à stercore duro, eiusq; curatio.* 3. *Tertia species a lapide in vesica, eiusq; cura.* 4. *Curatio constipationis duplicis.* 5. *Curatio obstructionis in ventribus à causa tam naturali, quàm prȩter naturam.* 6. *Curatio obstructionis pectoris & pulmonis.* 7. *Quomodo curanda obstructio hepatis, venarum arteriarum, & renum.* 8. *Purgatio ventriculi & intestinorum.* 9. *Cura obstructionis subcutaneæ triplex.* 13 *Singulę obstructiones curandę euacuatione accommodatum partis affectæ, tum materiæ contentæ.*

ESt 1. verò & obstructio ex eodem genere ægritudinum, quæ quidem ex lentis & crassis humoribus fit, vnam & ipsa habens intentionem morbo contrariam, dico autem apertionem. Cau-

sæ

fæ verò salubres sunt, abstergentia, atque incidentia medicamina.

2 Quę verò fit à stercore duro, quod intersepit intestinũ, primùm quidẽ habebit duritiei correctionẽ ex humidis, pinguibusq; clysteribus, demum ex acribus euacuationem exposcet.

3. Quæ autẽ à lapide fit in vesica, in præsẽti quidẽ trãspositionẽ requirit: integræ verò sanitatis causa incisionem & extractionem.

4. Humiditatis autẽ, quæ præter naturã in parte continetur, sanatio, in omnimoda euacuatione consistit, quẽadmodũ etiã in suppuratis. Immodica autẽ repletio, nõmodica euacuatione curatur; vt cum sanguis intra venas redundat.

5. Sic & quibuscũq; vel in vẽtriculo, vel in intestinis, vel arteria aspera, vel pulmone pus aut sãguis cõtinetur, integra euacuatio est necessaria. Superflui autẽ cibi, aut potus adhuc recentis assumptio, ab euacuatione corrigitur.

6. Quæcunque igitur in pulmone vel thorace continentur, cum tussi educuntur, sed à medicaminibus extenuantibus.

7. Quæcunque verò in hepate, vel venis, vel arterijs, vel renibus, aut per urinã, aut per vẽtrẽ: ſed per vrinã quidẽ ab ijs, quæ vehementer extenuant: per ventrem verò, ab ijs, quæ attrahẽdi aut aperiendi ora vim habent.

8. Quæcunque verò in ſuperiori ventre comprehenduntur, per vomitum: quæ autem in inferiori, per ſubductionem.

9. Sed quæcunque ſub cute, per ſectionem, vel ignem, aut per medicamina adurentia. Sic verò aliquando, quæcunque in aliqua naturali cauitate, vt in thorace.

10. Et ſummatim dicam, quicquid præter naturam in aliquibus partibus continetur, ſanationis intentio eſt ablatio, quæ ſi fieri non poſſit, tranſpoſitio. Quæ verò non ſunt ex toto genere præter naturam, at quantitate damnantur, in his intentio eſt abeuacuatio. At inuentio eorum, quæ ad ipſorum ſanationem perducunt, partim quidem ex affectu, plurimùm verò ex ipſis affectis particulis ſumitur.

Curatio asperitatis & lenitatis. Cap. 95.

Curam proponit asperitatis & lenitatis, cum suis exemplis; deinde agit de curatione morborum complicatorum: caput habet tredecim particulas. 1. *Remedia asperitatis & lenitatis.* 2. *Quid sit agendum si obstructiones sequantur alias affectiones.* 3. *Supposita pleniore cura dictorum affectuum, exemplum adducit de curatione repletionis alicuius partis ex affluxu sanguinis factę.* Gal. *l.* 3. Meth. *c.* 9. & *l.* 7. *c.* 12. 4. *Quot modis fiant retrocessus & enacuationes humorum, & cur corpus plethoricum non sit enacuandum per partem affectam.* 5. *Quo ordine incedendum in cura corporis plethorici.* 6. *Quibus remedijs humor sanguineus in parte affecta repellatur.* Gal. 2 Meth. *c.* 15. 7. *Quomodo enacuandus humor crassus in parte retentus, nimirum scarificatione, & medicamentis digerentibus.* 8. *Cautio in applicandis digerentibus, & quęnam sint optima digerentia.* 9. *Enumerat indicationes à parte affecta sumptas, & primò à situ, si scilicet locus affectus sit teni-*

rior. 10. *Indicationes sumptæ à substantia partium, quæ aut densa, aut laxa.* 11. *Quod de facilitate euacuationis ex parte figuræ & situs spectatæ suprà dixit, hic exemplo hepatis probat, cuius gibba per renes, cauæ per intestina expurgatur.* 12. *Indicatio alia à dignitate & officio partis, quod etiam in hepate demonstrat, vbi docet, quid vitandum, & quid agendum, ne iecur euacuatione lædatur.* 13. *Postrema indicatio est à partis temperie, secundum cuius varietatem medicamenti curantis naturam, quoque alterari necesse est.*

QVæcunque 1. partes verò ob id, quòd exasperatæ, naturalem amiserint habitum, his læuitas naturalis est restituenda, ossa quidem læuigando, arteriam autem asperam, vel linguam leniendo humidis, quæ nihil mordeant, & lentorem habeant. Sed quibuscunque læuitas præter naturam inest, asperitas est reuocanda medicaminibus, quę sufficienter abstergant, & parum adstringant.

Su-

Superiores affectus aliquando ad alios affectus sequi, aut complicari: ob id neque propriam semper curandi habere indicationem, neque vnam, sed plures; secundum docet exemplo inflammationis.

2. Quæcunque verò obstructiones, vel angustiæ meatuum alias sequantur ęgritudines, ab illarum curatione priùs est incipiendum. Ostensum siquidem est in libro de differentijs morborum, quòd & inflammationibus, & duris, laxisque tumoribus, & siccitatibus aliquando immodicis, ac præterea vitiosis partium continentium figuris, ea, quæ nuper diximus, sępius adueniunt: sicuti & quibusdam tumoribus eorum corporum, quæ sunt in ambitu

3. Quòd si nonnulla ex proximè dictis inuicem complicentur, varias habebunt indicationes. Sufficiet autem in vno, tanquam in exemplo habuisse sermonem, quoniam de omnibus in libris De arte curandi plenius sumus executi. Supponatur cuipiam particulæ multitudinem sanguinis influere, adeo vt distendantur quæ in ea sunt

vasa, non maiora tantùm, sed etiam parua, quæ prius sensum effugiebant: nunc verò, quia plena sint, visu comprehendantur, sicuti plerunque in oculis ob tunicæ albedinem manifestissimè patet: par autem certè est, quòd & alia vasa, quæ latent sensum, iam plena distendantur, nondum & ipsa ob paruitatem visui manifesta: & iam periculum imminet, ne quod ex vasis exudat ad spacia vacua, quę in medio sunt, effundatur; aut ne iam paruum aliquod sit effusum. Huius quidem affectus sanatio intentionem habebit euacuationem, aut, vt manifestiori vocabulo vtamur, abeuacuationem, siquidem morbus erat immoderata partis repletio.

4. Necessarium igitur est, vt aut superfluitas retrocedens euacuetur; aut per ipsam patientem particulam. Retrocedet autem vel impulsa, vel attracta, vel transmissa, vel horum vno aliquo modorum, vel omnibus. Per locum verò patientem euacuabitur, partim quidem manifestè & sensibiliter, partim verò in vapores tenuata. Si igitur vniuersum corpus plus æquo plethori-

cum

cùm fuerit, per patientem locum minimè euacuandum. Nam si scarificationibus, aut sectionibus sensibiliter euacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus. Si verò calefacientibus dispergere tentabimus, plus erit id, quod vi caloris ad partẽ attraheretur, quàm dispersum. Quòd si in eo elaborabimus vt quod influxit, retrocedat, corpus plenum non admittet.

5. Ad hæc igitur ambo totum corpus euacuare oportet, aut omnino ad alia loca retrahere, quod patienti particulæ influit; quo perfecto opere, prius á parte repellendum, quàm dispergendum. Quanto enim per maiora fit, tanto expeditior est euacuatio.

6. A patiente verò loco adstringendo, ac refrigerando repellemus, sed exinanita loca attrahunt ad seipsa quæcunque repercutiuntur. Hoc siquidem ostensum est in eo volumine, in quo De potẽtijs naturalib⁹ agitur. Et vasa, præterea, vigore & medicaminibus adstringentibus addito, à se ad alia remittẽt.

7. Si igitur hac via superfluum omne retrocesserit, bene se res habet: at si aliquid fuerit in parte retentum,

coniecturandum erit id lentum ac craſſum exiſtere, atque ea ratione iam coactum atque diſtrictum, vt cum difficultate extrahi poſſit. Fieri autem poteſt, etiamſi non eius naturæ ſit, vt ad ſpatia, quæ in medio ſunt, ſit effuſum: in quo caſu tunc ad id veniendum eſſe tempus ſuadet, vt hoc ipſum, quod reliquum eſt, per patientem locum euacuemus, imponendo ſuperiacentibus partibus ea, quæ influentem humorem repellendi vim habent. Maximè verò euacuabis, ſi in ſpatijs intermedijs aliquid contineri coniectura aſſequeris, & ſcarificationum auxilio, & medicaminum, quæ vim habeant diſpergendi.

8. Sed quoniam hæc omnia vires calidas habent, eiuſdem verò temperaturæ opus eſt mordere, quando modum caliditate exceſſerit, cauenda, ex es ſunt vehementiſſimè calida, ac tum præſertim, cùm patiens locus inter ſumma fuerit. Neque enim paruus excitabitur dolor, ſi præter proprium affectum, inſuper mordeatur: omniſque præterea dolor fluxiones commouet. Quod igitur mediocrem caliditatem ob-

obtinet, in his ſenſum doloris non inuehit: atque eò amplius omni dolore vacat, ſi humidum extiterit. Et quidem quicquid per ſumma hæret, potens eſt id medicamen diſpergere, quod etiam validas non habuerit ad diſpergendum vires.

9. Quòd ſi ſummæ quidem partes omni noxa caruerint, id verò, quod euacuari oportet, in penitioribus partibus fuerit, intendendus atque augendus diſpergentis medicaminis calor, cùm dubitandum ſit, ne prius, quàm profundas attigerit partes, interim vires amittat. Neque tamen ex eo ſummæ partes aliquem dolorem ſentient, cùm omni vacent affectu. Quare nunc hæc duo ſimul, inuitant ad calidiorum pariter, atque acrium medicaminum vſum, & ſummæ partes, quæ tolerant, & profundæ, quæ egent. Hæc igitur ex ſitu particulæ indicatio aſſumebatur.

10. Deinceps verò ſi quid ad ſanationem deficiat, cõſideremus, neque enim paruum aliquid deeſſe videtur. Affectę partes, in quibus fluxionis ſuperfluitas retinetur, nonnullæ quidem

ratæ, & laxæ, & molles natura exiſtunt: nonnullæ autem denſæ, & preſſæ, ac duræ. Priores igitur facilè euacuantur, reliquæ autem acrioribus euacuantibus, ac præterea tenuiores partes habentibus egent, atque eò etiam magis, quantò profundiorem ſitum habuerint. Hęc igitur tibi rurſus ſit indicatio altera, à particulæ patientis ſubſtantia: alia verò à formatione ſimul ac ſitu.

11. Supponatur enim ſi ita contigerit, in hepate eſſe proximè dictum affectum, in anguſtis vaſorum finibus impactis humoribus, qui vel lenti ac tenaces, vel craſſi exiſtant, vel ſuperabundent. Nonne in promptu eſt, primùm quidem craſſitiem vna cum lentore & tenacitate, cibis ac potibus extenuantibus ad ſubtiliorum partium ſubſtantiam transferri oportere? Secundo autem loco non per anguſtos, atque inuiſibiles ſolùm, ſed per latiores etiam meatus, quicquid infeſtum exiſtit eſſe euacuandum? Sunt enim in hepate venæ non minus amplitudine, quàm numero excedentes. Terminantur autem hæ quidem in gibbis ad ve-

nam

nam cauam, hæ verò in cauis ad portam: vnde facillimum tibi est futurum in vtrislibet pressi ac stipati humores fuerint, eosdem expeditè euacuare, trahendo quidem ad ventrem, his quæ attrahendi vim habent medicaminibus, eos humores, quicunque in venis ad caua hepatis pertinentibus sunt aceruati; ad vrinæ verò meatus promouendo per cauam venam, quicunque in venis ad gibba pertinentibus sunt.

12. Sed præter supradictas alia est indicatio ab hepate ipso, veluti à venarum principio. Nam cum non tantùm seipsum regere natura aptum sit, vt pleræque animalis partes, sed venis præterea virtutem largiatur, periculum imminet, ne, si eius vigor perfusionibus, & cataplasmatibus relaxantibus fuerit exolutus, & ipsum primum ad sui opus, atque omnes subinde venæ, eius ratione imbecilles efficiãtur. Quare in eius curationibus aliqua ex adstringentibus medicaminibus miscere oportet. Sed quoniam in profundo admodum loco situm est, dubitandum erit, ne adstringentis medicaminis vis exoluatur, nisi ab aliqua altera sub-

subtilium partium substantia, qualis aromatum est, traducatur. Melius verò fuerit, si & ipsum adstringens medicamen protinus etiam aromaticum fuerit; nam si duas habuerit natura insitas qualitates ac potestates valentiùs operabitur.

13. Et quidem euacuetur, quod præter naturam in membrum confluxit. Seruet autem humorum modum naturæ conuenientem. Quare & illa animaduersio à nobis est in hoc adhibenda, ne quid ab humoris confluentis qualitate eiusdem membri temperies sit alterata: si pituitæ naturam tenuerint, ad frigiditatem: si verò bilis, ad caliditatem: vt hanc ipsam curantes intemperiem, sanitati exquisitè restituamus. Curabimus autem contrariam ex aduerso afferentes qualitatẽ, quemadmodum in intemperaturarum curationibus diximus, quantum vnumquodque calidius, aut frigidius factum est, tantum refrigerantes, aut calefacientes: Quare & hic rursus agnoscenda est ipsius secundum naturam temperies. Nam quo pacto sciemus, quantum in frigiditate aut caliditate à naturæ mo-

modo recessserit; aut quando à frigefaciendo supersedebimus, si nos latuerit ea, quæ est secundum naturam, caliditas? Ita verò & si frigidius effectum calefaciemus, ignorantes frigiditatis naturalis modum, neque opportunè calefacere, neque in tempore à calefaciendo desistere poterimus.

De morbo secundum numerum. Cap. 96.

Absolutis morbis vitiatæ conformationis, nunc agit de morbis in numero, quos duplices statuit, vel in abundante, vel deficiente numero: quibus sua ascribit auxilia, abundanti rescissionem, deficienti regenerationem; porrò ait abscissioni vbique locum esse, regenerationi non item; & quomodo defectus resarciri possit, indicat.

SEd quoniam de his satis diximus, transire iam tempus ad ea, in quibus numerus non est secundum naturam. Cùm verò duplex sit eorum differẽtia, quibus quidem aliqua particula deficit, his intentio est alteram efficere, subministrando naturæ, eo quod di-

diximus paulò antè modo: at quibus superabundat, hanc resecare oportet aut scalpello, aut igne, aut medicamine; quod vrendi vim habet. Hæc igitur omnia ferè sanare possibile est: at non æquè omnia generari possunt, vt in libro de semine diximus. Quædam verò sunt, quæ etsi generari non possunt, licet tamen pro ipsis alterum efficere, quemadmodum in osse ex toto sublato, alteram substantiam in eius sede reponere, à carne, atque osse differentem. Est enim quæ in eius gignitur loco, quædam veluti caro callosa, vel callus carnosus, & processu temporis magis ac magis ad calli duritiem transfertur, cùm ab initio carnis potiùs imitetur naturam. Quacũq; verò parte sublata, cùm neq; eandẽ secundũ speciem substantiam, neque similem efficere possumus, tertia nobis intentio quẽdam decorem inuenire, quemadmodum in mutilationibus.

De

De morbo secundùm magnitudinem. Cap. 97.

Morbos in magnitudine parum discrepare dicit à morbis in numèro abundanti, eorumque curationem duplicem docet, ablationem, aut transpositionem: in partium verò particulis, ablationem, aut regenerationem.

COmmunicat autem hoc genus totum cum eo, quod ad magnitudinem pertinet. Nam quodcunque ex eo est secundùm naturam, illi propinquum existit. Id verò tantum seiunctum est ac separatum, quod inter ea, quæ sunt è genere præter naturam, connumeratur. In quo quidem prima intentio est ablatio. Si verò hæc impossibilis existat, secunda est transpositio, quemadmodũ in suffusionibus. Quæcunque verò non integris partibus, sed partium tantummodo particulis deficiunt, aut excedunt naturę modum, refectio quidem vel generatio in his, quę deficiunt: ablatio verò & abolitio in

his,

his,quæ ſuperabundant. Quare neque in ipſis altera eſt intentio , neque medicaminum forma genere diuerſa.

De morbo ſecundum ſitum. Cap. 98.

Morbos in ſitu enumerat duos , ſingulorum duplicem cauſam, & duplicem curationem docet.

SEd iam veniendum eſt ad reliquum ſalubrium cauſarum genus, quod ea corpora emendat , quæ in ſitu ſunt viciata, veluti luxationes , & inteſtinum in ſcroto . Fit autem hoc ex violenta tenſione , atque impulſu : hoc verò ex dilatato ac rupto continente. Quare & duplex ſanandi modus : Alter quidem ad oppoſitam partem ei,ad quam facta eſt permutatio,intendendo , atque impellendo: Alter verò id, quod continet, firmius ſolidiuſque reddendo . Quibus verò vijs, ac rationibus ſingula inueniri poſſint,in lib . De arte curandi explanauimus.

De

De causis preseruatiuis.
Cap. 89.

De causis tandem præseruatiuis agit, quæ conueniunt corporibus, neutris, ne in morbos labantur: particulæ capitis sunt sex. 1. Tradit rationem obseruati ordinis. 2. Circa quid versetur medicina præseruatiua, & quomodo augeatur humorum prauitas. 3. Remedia, quibus præseruantur corpora neutra. Hip. 1. Aphor. 22. 4. Euacuationem duplicem indicat, communem totius, & propriam partium singularum. 5. Reuulsionis, & deriuationis conditio. Gal. 5. Meth. c. 3. 6. In concluſione agit de nomine causarum, & Sophistas, reprehendit.

CONsequens 1. est, vt ea omnia exequamur, quæcunque in superiori sermone dicere distulimus. Vocant autem eadem præseruatiua. Est autem horum triplex secundum genus differentia. Prima quidem hominis, qui integra fruitur sanitate. Secunda verò eius, qui non integrè valet. Tertia eius, qui ægrotat. Primum igi-

tur

tur genus ad salubrem attinet artem, atque in duas, vt antea diximus, diuiditur partes: Secundum verò ad præseruatiuam spectat: Tertium ad curatiuam.

2. Hoc autem vniuersum genus circà humores præcipuè negociatur, quos neque lentos esse oportet, neque crassos, neque aquosos, neque plurimos, neque vehementer calidos, aut frigidos, neque mordaces, neque putredini obnoxios, neque uenenosos. Nam ubi aucti fuerint, generant morbos. Augentur verò nonnunquam eadem ex causa, quæ ab initio generauit. Illud autem plerumque accidit, ut sua alteratione simul inficiant, eos qui sunt in corpore, humores.

3. Intentio verò & horum sanationis duplex existit, alteratio, & euacuatio. Alterantur igitur uel ab ipso corpore concocti, uel ab aliquibus facultatibus, quæ uim medicamentosam habent. E quorum numero etiam sunt ea, quæ exitialium ferarum uenenis aduersantur, ac præterea pharmaca, quæ deleteria, hoc est, uenena appellantur, transmutant.

4. Eua-

4. Euacuantur autem ſatis calidis medicaminibus, & purgationibus, & clyſteribus,& ſudoribus,& uomitibus. Hæ igitur ſunt earum communes euacuationes: Propriæ autem, ex locis, in quibus coaceruantur, aſſumuntur,ut in libris De ſalubribus oſtendimus, tertio præſertim ac quarto,in quibus de laſſitudinibus egimus, ac reliquis diſpoſitionibus, quæ laſſitudini natura proximæ ſunt. Promptiùs enim euacuantur per uentrem quidem, quæcunque in primis uenis continentur ſuperfluitates; quæ autem in his, quæ in hepate ſunt,per urinæ meatus; at quæ in toto corpore,per ſudorem: ſicuti quæ in capite,uel per palatum, uel per nares, uel per utrumque, quæ verò ſunt in ſpacijs thoracis laxioribus, per gutiur ſimul cum tuſſi: quæ in renibus ſunt, uel ueſica,per urinam,

5. At attrahendi ex omni loco ad oppoſitas partes communis indicatio eſt, ad quam maximè diſtantia: deriuandi uerò ad uicina.

6. Quæcunque uerò huiuſcemodi curant diſpoſitiones cauſas ſalubres appellamus: ſicuti inſalubres quæ ad-

au-

augent: & neutras, quæ neque obſunt, neque iuuant. Poſſet verò quiſpiam neque omnino cauſas appellare, quemadmodum maior pars Sophiſtarum, qui rerum quidem differentiam inuenire contemnunt, plurimum verò temporis in nominibus conterunt, contra quos in alijs vberius diſſeruimus. Ac pars quidem artis præſeruatiua talis eſt.

De parte, quę conualeſcentes reficit, & ſenibus congruit.

Cap. 100.

Neutrorum conualeſcentium prouidentiam docet, quibus etiam adiungit ſeres; & ſunt captis particulę quinque. 1. *Duo ad reſtaurationem eſſe neceſſaria, diſpoſitionem, & cauſas reficientes. Gal. l.* 7. *Meth. c.* 6. 2. *Diſpoſitio conualeſcentium & ſenum qualis.* 3. *Cauſę ſalubres quinque, quæ conualeſcentes reficiunt.* 4. *Diſtinctè declarat materias propoſitas.* 5. *Animaduertit, ſe alibi de his omnibus egiſſe; ac proinde ſeriem librorum ſuorum proponit.*

QVæ autem reficit atque instaurat, in cõualescentibus ac senibus locum habet. Quæ verò sit horum dispositio, & à quibus præcipuè causis ad naturalem reducitur habitum, in libris, in quibus De medendi arte tractauimus, abundè explicauimus. Sed nunc per capita dicetur.

2. Dispositio igitur talis est. Probus quidem, sed exiguus est sanguis, atque vnà cum ipso spiritus animalis, atque vitalis: ipsę verò particulę solidę siccio-res; & idcirco eorum vires sunt imbecilliores, atque earundem ratione corpus vniuersum frigidius.

3. Causæ verò salubres, quæ hanc emendant dispositionem: vt vno comprehendam capite,

1. sunt, quæcunque præsentaneũ atque securum exhibent alimentum, secundum partem autem,

2. in motibus moderatis,

3. & cibis,

4. potibusque,

5. ac somnis consistunt.

4. Sunt verò motus materiæ, vehicula,

cula, ambulationes, frictiones, & balneæ: & ubi non parum se ex his profecisse senserint, paulatim se ad consueta opera transferant Cibos autem assumant in principio quidem humidos, & concoqui faciles, neque frigidos: at cum progressi fuerint, eos etiam, qui plurimum præstant alimentum. Potus verò opportun⁹, est vinũ ętatẽ quidẽ habens mediocrem, in substantia autem purum, atque perlucidum, quod scilicet vel subflauum, vel album existat, atque suauiter olens: gustui verò neque aqueum omnino, neque cum aliqua insigni qualitate aut dulcedine, aut adstrictione, aut acritudine, aut amaritudine sentiatur.

5. Vt autem proximè diximus, de hisce omnibus in libris De arte curandi conscriptis, pleniùs disseruimus. Nunc enim neque omnia particulatim recensere est nostri propositi institutum, sed solùm capitum mentionem facere intendimus eorum, quæ in alijs voluminib⁹ latiùs explicauimus. Quorum omnium si prius & numerum, & qualitatem exposuero, finem libro imponam. Diximus itaque priùs, quòd

alter

alter eſt liber, in quo De conſtitutione artis medicæ diſſeruimus. Antecdunt autem eum alij duo De conſtitutione artium, ſed hi quidem unà cum hoc, cui nunc extremam manum adiecimus, ſeorſum ſunt ab alijs libris, in quibus plenior doctrina explicatur. Illi verò talem inter ſe ordinem habent, De elementis quidem ſecundùm Hippocratem liber unus. Poſt hunc autem tres De temperaturis, ex quibus quidem duo ſunt De temperaturis animalium, tertius verò De ijs, quæ ſimplicium medicaminum ſunt. Quamobrem & tractatum illum, in quo de ſimplicium medicaminum poteſtatibus agitur, nemo rectè intelligentia aſſequi poteſt, niſi prius tertij libri De temperaturis integram cognitionem fuerit adeptus. Eſt autem liber paruus, qui ordine ſequitur duos priores alios De temperaturis; inſcribitur autem De inæquali temperatura. Similiter autem & hunc alij duo parui, alter quidem De optima corporis conſtitutione, alter De bono habitu. Alius verò tractatus eſt, qui tres complectitur libros De potentijs naturalibus; quem ſi quis lege-

re velit post librum De temperaturis, siue post librum De elementis, vtrumque erit consentaneum. Post hunc in pluribus alijs libris De operationibus animalibus disseruimus. Sed quoniam ad earũ demonstrationes non parũ conferunt, quæ perfectiones apparent, in illis priùs exercitari oportet. Est autem maximè inter alios utilis ille tractatus, qui De sectionum aggressibus inscribitur. Alij autem sunt post eum plures, duo quidem De discordia sectionis, unus verò De sectione mortuorum. Post quos sequuntur hi, in quibus agitur De sectione viuorum. In alijs verò quibusdam particulatim ob eos scripsimus, qui introducuntur, De ossibus. Sectio quoque musculorum, & neruorum, & arteriarum, & venarum, & quædam alia huiuscemodi ex eodem numero existunt, & liber etiam, in quo quæritur, Nunquid in arterijs contineatur sanguis naturaliter? Qui verò carundem partium operationes demonstrant, duo quidem sunt, De motu musculorum: tres autem De thoracis & pulmonis motu. Post quos sequuntur libri De causis respirationis. Post hos

hos liber De voce. De principatu autẽ animæ & de omnibus alijs, quæ de naturalibus, vel animalibus operationibus in quæstionem trahuntur, in longo scripsimus libro, qui De dogmatibus Hippocratis, & Platonis inscribitur. Ad eiusdem generis contemplationem pertinent libri de semine seorsum conscripti, & amplius de sectione secundùm Hippocratem. Quos omnes ordine sequitur tractatio De utilitate partium. Ad dignoscendas autem ægritudines vtilis est liber De locis affectis. Itidem ille, in quo De pulsibus scribitur; in quo & præcognitiones edocemus. Librum verò De pulsibus præcedunt alij duo, alter qui de usu respirationis, & alter, qui De usu pulsuum. Is verò De pulsibus in quatuor diuidetur partes; primam, quæ eorum differentias, secundam, quæ dignotiones; tertiam, quæ eorum causas; quartam quæ illam, quæ per eosdem fit, continet præcognitionem. Ex eodem genere est ille, qui ijs, qui introducuntur, De pulsibus scriptus est. At verò in animo est alium scribere librum, velùti quoddam omnium istorum

rum compendium, quem inſcribam vel Artem de pulſibus, vel Compendium. Ad hanc quoque iuuant contemplationem, ea per quæ à me expo. nitur, & ſimul iudicatur liber Archigenis De pulſibus. Ad præcognitionem autem plurimum confert liber de criſibus, id eſt, decretis naturæ; quem præcedit alter De decretorijs diebus. Sed liber etiam, qui de Difficili anhelitu inſcribitur, & ad præſcienda bona vel mala, quæ ægrotanti ſunt euentura, conducit. Hi igitur omnes, atque unà cum ipſis tractatus quidam vno tantùm libro comprehenſi, cognitu utiles ſunt: ſicuti ille, qui De procatarcticis, id eſt, præincipientibus cauſis inſcribitur, & De medicinali experientia, & De extenuante victu, & qui De venæ ſectione aduerſus Eraſiſtratum, & qui De tumoribus præter naturam, & qui de multitudine, atque alij præterea ſimiles. Præ cęteris autem ad curandi ſcientiam maximè neceſſarius exiſtit, qui De morborum differentijs agit, & De accidentium differentijs. Et tertius præter illos, in quo Morborum cauſas explicauimus. Poſt quos


ſunt

sunt tres alij, qui Accidẽtiũ causas explanant. Sunt etiam De medicamentorum simplicium viribus libri, de quibus suprà meminimus: & qui de medicamentorum compositione, quos secquuntur libri de arte curandi, his, qui De salubribus inscribuntur, seorsim à nobis conscriptis. Quòd verò ante hosce omnes prius exercitari oporteat, in libris De demonstratione, si quis hanc artem sit cum ratione tractaturus, monstratum est à nobis in libro, qui De optima inscribitur hæresi. De alijs autem libris, & commentationibus à nobis scriptis, transigere nunc minimè necessarium, cùm de hisce omnibus alibi simus tractaturi in vno fortassis, aut duobus libris, qui ita inscribentur, Galenus de voluminibus a se conscriptis.

FINIS.

U3021 5

Ferencz Erkel.





ATENEO VENETO
1913

BIBLIOTECA ATENEO VENETO
6
C
48
VENEZIA